

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica palmarum

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

dex incurrat, caveat. Si peccaverit vir in virum, tum judicant Dii: Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? 1. Sam. 2. v. 25.

Interea condemnatio Christi in solatium nostrum vergit. Ratione enim tristissimi lapsus eò res nobiscum devenerat, ut undiquaque Crucifige super nos exclamatum sit.

In cœlo dicebat Deus: Crucifigatur: semel à me dictum est, quocunque die homo de arbore vetita comederit, morte moriatur, quod verbum nunquam mutabitur, sed immotum manebit. Cœlum enim & terra transibunt, verba autem mea non transibant, Luc. 21. v. 33.

In inferno clamabant Diaboli: Crucifigatur, quorum libido erat, ut & nos carenis noctis in tartarum detruderemur vincti, 2. Petr. 2. v. 4. daturi pœnas, interitum æternum à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, 2. Theff. 1. v. 9.

In his terris adhuc hodie locum habet: Crucifigatur. Variationes enim & exercitus adversus nos sunt, Job. 10. v. 17. Hic semper cogitationes, & timores cordis, adinventio expectationis, & dies finitionis, Sir. 40. v. 2. Nos judicem nostrum habemus, qui sententiam super nos pronunciat annunciandam nobis: Dispose domui tuæ, Esa. 38. v. 1. Verùm Servator noster Jesus, Mediator noster factus, judicium condemnationis subiit, ut nos absolveremur. Non amplius nunc audiendum nobis, triste illud Crucifige, sed Justificetur & vivat: non enim Dominus delectatur in perditionibus nostris, Tob. 3. v. 22.

Die novissimo demum verâ vita perfruemur, Sir. 48. v. 12. Quando nos Dominus sibi adsciscet, ut simus cum eo semper, 1. Theff. 4. v. ult.

Hoc JESU! nobis largire Amen.

## DOMINICA PALMARUM.

Textus.

*Historia Passionis, usque ad finem.*

### EXORDIUM.

**V**eneranda Antiquitas presentem Dominicam appellavit Dominicam Palmarum: semel ratione ramorum, quos populus præcidit, & in ingressu Christi in viâ stravit, fuerunt enim rami palmarum, ut Johannes indicat, cap. 12. v. 13. Deinde hoc ipso Christus maximè respicitur, qui per palmam præfiguratus est. Propterea in-

quit: Quasi palma exaltata sum in ripâ, transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini, Sir. 24. v. 18. 26.

Meditatio Evangelii suggerit

I. *Triplicem Querelam*, si respiciamus

1. *Palma pressuram*, quâ ab ipsâ infantia usque in sepulchrum affectus est. Bethlehemi non invenit locum in diversorio, sed

sed in obscuro stabulo, duro in præsepio re-  
quiescere coactus est, Luc. 2. v. 7. Nazareni  
conterranei ejus, de supercilio montis, su-  
prà quem civitas eorum ædificata erat,  
eum præcipitaturi erant, Luc. 4. v. 29. In  
Capharnaum quoq; non ex voto escessit,  
ided v̄ super illo clamat, Matth. 11. v. 23.  
Hierosolymis sanctissimos & devotissi-  
mos habitasse æquum fuisset, quia Deus ibi  
ignem & caminum suum habebat, Esa. 31.  
v. ult. Sed ibidem pessimè tractatus, ad  
ignominiosissimam mortem crucis con-  
demnatus est, Matth. 27. v. 26. ubi insidias  
antiqui serpentis, calcaneo suo tentas sensit,  
Gen. 3. v. 15. Verùm Deus in bonum finem  
direxit, ut hoc ipso lapsu genus huma-  
num restitutum, peccatum obsignatum,  
iniquitas expiata, & justitia sempiterna ad-  
ducta sit, Dan. 9. v. 24.

2. *Ecclesia figuram.* Hanc nobis Christus  
adumbrat: vehitur enim asino mutuato  
& despecto, satellites ejus sunt pisces, alii-  
que è plebe homunciones, qui ipsi ve-  
stimenta loco clitellarum substernunt, &  
ut compendio dicam: Omnia paupertate  
præ se ferunt.

Adhuc hodiè Ecclesia pusillus grex,  
Luc. 12. v. 32. populus pauper atque egenus,  
Zeph. 3. v. 12. lampas contempta apud  
cogitationes divitum est, Job. 12. v. 5. hoc  
inde est, quia in mundo habitat qui Dia-  
bolo desponsatus, & totus in maligno po-  
situs est, 1. Joh. 5. v. 20. Joh. 15. v. 19.

3. *Vulgi naturam,* quæ bellua est multo-  
rum capivum, hodiè Christo Hofanna ac-  
cinit, cras sive perendiè Crucifigeei accla-  
mat. Idè in Deo confidendum, non in  
hominibus. Nam omnis homo mendax  
Psal. 116. v. 11. sed Deus veritatem custodit  
in seculum, Psal. 146. v. 6.

II. *Triplitem Medelam,* quæ fuit

1. *Ex Christi adventu,* quod in miserã  
nostrã visitat nos, qui proposito sibi gau-  
dio, sustinuit crucem nostri causa, confu-  
sione contemptã, Hebr. 12. v. 2. nobisque  
fratribus suis per omnia assimilatus est, ex-  
cepto peccato, Hebr. 2. v. 17. Hæc gratia  
præveniens est, quæ nobis in peccato mor-  
tuis prævenit, Eph. 2. v. 5. Nisi nos acces-  
sisset, nos illum accedere non potuissemus,  
sed periissemus in æternum damnati: Ve-  
rum adventu tuo nos idoneos fecit, in par-  
tem fortis Sanctorum, in lumine, Col. 1.  
v. 12. Ut jam non amplius peregrini simus  
ut antea: sed genus electum, Regale Sa-  
cerdotium, populus sanctus, populus ac-  
quisitionis, 1. Petr. 2. v. 9.

2. *Ex palma usu.* Pressa enim valentior,  
ut notum Emblemã indicat, & sub pon-  
dere crescit, Gellio asserente. Ita de Chri-  
stianis dicimus: Ubi desinit auxilium  
humanum, incipit divinum, Ze größer  
Noth / je näher Gott. Dum judicamur,  
à Domino corripimur, ne cum mundo  
damnemur, 1. Cor. 11. v. 32.

3. *Ex multiplici fructu.* Quemadmodum  
enim palma tam hyeme quàm æstate viret  
& floret, & fructus suos gignit, quos pal-  
mulos vocant sive dactylos, quibus Phy-  
sici insignem virtutem alendi tribuunt:  
Pari modo & hæc palma, Christus JE-  
sus, sine intermissione floret, & salutare  
fructus producit, quibus æstate & hyeme,  
h. e. in prosperis & adversis fruamur. Jesus  
Christus heri & hodie, idemque in secula,  
Hebr. 13. v. 8.

III. *Triplitem Cautelam,* quam tribus in-  
cludimus Regulis, quarum

d d z

1. Chri-

1. *Christum excipe.* Nostro enim emolumento advenit, tanquam justus & Salvator, Zach. 9. v. 9. Quidni ipsi gloriam daremus, ut de adventu ejus ex animo lætaremur, sicut captivus lætatur, quando Redemptor ejus appropinquat? Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, Phil. 4. v. 4. Hic Rex venit justus, nobis id bonum est: bibimus enim quasi aquam, iniquitatem, Job. 15. v. 16. qui verò in eum credit, justus est, Rom. 10. v. 4. Hic Rex venit, ut Salvator: id non minus prodest nobis. In nobis enim non est fortitudo, 2. Chron. 20. v. 12. sed auxilium nostrum à Domino, qui fecit cælum & terram, Psal. 121. v. 2.

2. *Palمام sequere.* Hæc idea Christiani est, qui non deficit in tribulationibus, Eph. 3. v. 13. sed crescit sub mole illâ, in fide, patientiâ, devotione, aliisque præclaris virtutibus, ut & in morte speret, Prov. 14. v. 32. & cum Paulo dicat: Certus sum, quod neque mors neque vita &c. Rom. 8. v. 38. Hanc constantiam sequitur tandem corona, nempe corona vitæ, Apoc. 2. v. 11. Psal. 92. v. 13. 15.

3. *Hosanna cane.* O Domine, da prosperos successus! Psal. 118. v. 25. sicut enim turbæ, quæ præcedebant, & sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna Filio David, benedictus, qui venit in nomine Domini: Ita & nos adhuc hodie Christo Servatori Hosanna accinamus, dicentes: Præcepit Deus tuus fortitudinem tuam, confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, Psal. 68. v. 29. Licet enim Paulus plantet, Apollo riget, tamen omnia irrita sunt, nisi Deus dederit incrementum, 1. Cor. 3. v. 7.

Hæc ita hodierni Evangelii idea, quomodo occasione palmæ, à quâ hodierna dominica denominatur, tractari potuisset.

Nunc ad verba Passionis progredimur, quæ quatuor membris constant, quorum

- I. *Contumeliosaeductio.*
- II. *Secura crucifixio.*
- III. *Beata obdormitio.*
- IV. *Honestasepeliitio.*

J. J.

### Exegesis.

**P**illarus clamore Pontificum, Seniorum & Scribarum victus, capitis Christum damnaverat, ut in præcedentibus audivimus. Propterea milites cum ipso properant ad locum supplicii, ubi aliâs facinorosi morti tradebantur. Id præfiguratum est per vaccam ruffam. Sicut enim illa extrâ castra educenda & cremanda fuit, Num. 19. v. 1. seqq. Ita & Servator noster extrâ Jerusalem eductus, ibique extrâ muros interfectus est, ut ostenderet, esse se Salvatorem omnium hominum, Judæorum æque ac Gentilium, 1. Tim. 4. v. 20. & propitiationem, non pro nostris tantum: sed protius mundi peccatis, 1. Joh. 2. v. 2.

Adam Paradiso ejiciebatur, cum peccasset, Gen. 3. v. 23. verum per educationem suam Christus, tanquam alter Adam, πολίτευμα cælestis Hierosolymæ nobis vicissim acquisivit, ut lætabundi cum Apostolo dicere possimus: Jam non hospites & advenæ, sed cives sanctorum, & domestici Dei sumus, Eph. 2. v. 19.

Considerabimus verò in contumeliosa hæc Christi educatione,

1. *Vestium mutationem.* Chlamydem enim cocineâ, quæ vulneribus tenaciter inhærebat,

bar, violenter de corpore detrahunt, quo ipso dolores renouantur, & fontes sanguinei, qui obstructi erant, vicissim aperiuntur: contra vero vestimentis ejus eum induunt, quo ab omnibus agnitus majori ignominia & opprobrio afficiatur.

Id quidem in oculis nostris leve videtur. Verum si recte idem perpendimus, in eo Basis fidei & salutis nostræ versatur, quam Dæmon infernalis per hæreticos evertere satagit. Ut enim Eusebius recenset, olim Hæresiarcha Basilides non Christum, sed Simonem Cyrenæum ejus loco crucifixum esse, prætendit. Quod idem fere præstigiatorum Machometem in Alcorano suo reliquisse, dicitur.

Verum recte dixit Tertullianus: *Falsa est fides nostra, nisi vere Christus crucifixus, vere mortuus, & vere resuscitatus est.* Hæc mendacia hoc ipso plane enervantur, quod Christus habitu proprio, atque cognoscibili specie ad mortem, traductus est. Hæc res magni momenti est. In uno enim est salus nostra, qui est Jesus, cui omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum, Act. 10. vers. 43. qui vero alium insequuntur, multiplicarunt molestos labores suos, Psal. 16. v. 4. Non enim est in alio aliquo salus, Act. 4. v. 12.

2. *Ligni bajulationem, ubi notes,*

1. *Durum gravamen.* Sicut enim Adrichonius in Theatro sanctæ terræ recenset, Christum à Prætorio Pilati usque ad locum Crucifixionis mille trecentos passus viginti & unum progredi oportuit. Eniter dolorosum & molestissimum! quod in V. T. per iter Isaaci, ex debita obedientia er-

ga parentem Abrahamum factum, ubi in monte Moria, in Holocaustum imactandus erat, præfiguratum fuit. Tulit enim ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum, Gen. 22. v. 6.

Ita hic piissimus Servator transversalia Crucis, in quibus semetipsum hostiam Deo, in odorem suavitatis oblaturus erat, Eph. 5. v. 2. dorso suo bajulavit, non attento hoc, quod satis oneratus esset, onere iniquitatis domus Israël, quam olim Ezechiel portare cogebatur, Ezech. 4. v. 4. sed & omnium hominum, quam Deus in eum posuerat, Esa. 53. v. 6. Propterea Agnus Dei appellatur, qui portat peccata mundi, Joh. 1. v. 29.

2. *Accidens levamen.* Ubi enim cum Christo exeunt, invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus, & ad locum Calvariæ perferret, non ex commiseratione: sed quia verebantur, ne Christus nimium enervatus sub manibus eorum exspiraret, ne inceptam Tragœdiam ad finem perducere possent.

Habes hic

1. *Christianismi picturam.* Simon auditorem significat. Ita Christiani vocem Patris sui audiant oportet, Joh. 10. v. 27. Simon rure rediens, Hierosolymam tendebat: Ita & nos ab agro hujus mundi, desiderio cœlestis Hierosolymæ flagremus. Interea Christus in via minime nobis conjicientibus obviat, crucem nobis imponens, & participes tribulationis suæ efficiens, Apoc. 1. v. 9. id omnes expectemus necesse est. Neque enim sub Rege, cruce gravato, deliciarum poterimus, Matth. 16. v. 24. Sir. 2. v. 1. seqq. *Hebr. 13. 13.*

dd 3

2. Hg.

2. *Hominis naturam.* Simon inuitus crucem suscepit, angariaverunt, adeoque vi adegerunt eum ad eam ferendam: Ita crux carni & sanguini nostro peracerba est. Verum aliter fieri nequit. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te, Tob. 12. v. 13.

Quilibet proinde æquo animo crucem subeat. Est Christi crux, color Christi, insigne Christi, stigmata Christi. Quem huius coloris suppuderet? *Huic Domino servire, regnare est,* ait Basilius. Dat hæreditatem timetibus nomen ejus, Psal. 61. v. 6. Tandem implebitur: Ubi ego sum, illic & minister meus erit, Joh. 12. v. 16.

3. *Crucis mensuram.* Fidelis enim est, nec permittit quempiam tentari supra id, quod potest, 1. Cor. 10. v. 13. Hic Simon Cyrenæus fortuito occurritur Christo crucem ferat: sic adhuc hodie DEUS fideles suos non deseret, sed qui ope & consilio ipsis succurrant, & crucem levent, excitabit, quin & ipse auxilium laturus dabit virtutem lassæ, & his qui non habent fortitudinem, robur multiplicabit, Esa. 40. v. 29. Ideo inquit ad Paulum: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus mea in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12. v. 9.

3. *Valedictoriam orationem.* Ubi nota

1. *Impulsum causalem.* Sequebatur autem illum multa turba, inquit Evangelistæ. Sicut adhuc hodie fieri amat, quando facinorosi ad supplicium ducuntur: inter illas & piæ quædam mulieres erant, quæ plangebant & lamentabantur, quod præstantissimo huic Doctore adeo iniqua merces persolveretur.

Piæ hæ mulierculæ erudiunt nos, quo-

modo & ipsi Passionem Christi cum lacrymis meditari debeamus. Gratiam fidei justorum ne obliviscaris: dedit enim pro te animam suam, dicit Siracides cap. 29. vers. 20. Quod si itaque corporale illud beneficium, quod amicus amico exhibet, oblivioni tradi non decet: quanto magis Christum in memoria habere æquum erit, qui peccatorum nostrorum reatum in se recepit, & quæ non rapuerat, exsolvit, Psal. 69. v. 6. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, Esa. 53. v. 4. & seqq.

2. *Sonum formalem.* Ubi enim Christus eas plangere & lamentari audivit, conversus ad illas, dixit: Filie Hierusalem, nolite flere super me: sed super vos ipsas flete, & super filios vestros &c. q. d. O vos meæ! non est, quod super passione mea fleatis, non enim fortuito accidit: sed vos peccatis vestris accessistis mihi eam, super illa itaque fleatis oportet. Reminiscimini gravissimam iræ tempestatem, brevi super vos, quin & totam gentem Judaicam adventuram, tantis cum calamitatibus, ut plurimæ Matres optaturæ sint, liberos se non pepererisse neque uberibus suis lactavisse: Quinimo tantæ tum angustie futuræ sunt, ut homines præ consternatione dicturi sint montibus: Cadite super nos & collibus: operite nos. Quod si enim hæc in viridi vitæ ligno faciunt, quid vobis fiet, qui aridi estis, & peccatis vestris ignem infernale dudum promeriti.

Hæc Christi Concio sit tibi stimulus ad poenitentiam. Noli indignari Judæ, qui Jesum prodidit: non Pontificibus, qui falso ipsum accusarunt: non Pilato, qui innocenter eum damnavit: non militibus, qui

qui cruci ipsum affixerunt: sed potius plora peccata tua, quibus Christo dolorem hunc in iniquitatibus tuis præbuiſti, Eſa. 43. v. 25.

De Secundo.

Videbimus nunc porto *Secutam Crucifixionem*, quæ describitur

1. *Secundum essentiam*, ubi attende

1. *Locum*, ubi hoc factum, nempe in loco, qui dicitur Golgatha, quod est calvaria locus, quia ibi multa ossa defunctorum, & crania maleficorum, ultimo supplicio aſſectorum videbantur.

Prisci Adamum hoc loco sepultum autumarunt. Hoc si verum, Christi sanguis in cranium Adami manavit, certissimo indicio, Adami & omnium hominum peccata nunc expiata esse, 1. Cor. 15. 22.

2. *Potum*. Quia enim Salomo dicit: Date siceram perituris, & vinum his, qui amaro sunt animo, Prov. 31. v. 6. & ipsi Christo potum ministrant, sed non haustum frigidæ, multo minus vini: sed acetum felle permixtum, ut non immerito conqueratur Dominus: Quomodo conversa es mihi in Palmites degeneres vitis alienæ, Jer. 2. v. 21. Opprobrium & miseria frangunt cor meum: Dederunt in escam meam fel; & in siti mea potaverunt me acetum, Psal. 69. v. 21, 22.

Optimus Servator olim Israëlitas aqua è petra potaverat, Num. 20. v. 11. Elicuerat Samsoni è maxilla asinia aquas, Jud. 15. v. 19. In nuptiis Cananæis aquam in vinum generolum commutaverat, Joh. 2. 9. sed mortui vicinus ne quidem potu frigidæ frui potest, quo cor languidum reficeret.

Id nostri causa perpeſſus est. O quoties fit, ut & nobis è calice felle repleto bibendum, & multa adversa sustinenda sint: hinc Christum calicem hunc dudum gustasse, meminimus, quo fideibus suis acquisivit, ut super mensa sua in Regno suo comedant & saturentur, bibant & inebrientur, lætentur, & præ exultatione cordis jubilent, Eſa. 65. v. 13. hæc beata permutatio erit, quam semper desideremus, Dominus enim ad postremum servavit bonum vinum, Joh. 2. v. 10. in cælo novum bibemus, Matth. 26. v. 29. inventuri cum Christo vitam & abundantiam in æternum, Joh. 10. v. 11.

3. *Modum*, quem Evangelistæ expriment

1. *Generatim*, & paucis quidem verbis: Et crucifixerunt eum ibi. Pauca verba, tristissimus actus. Crucifixio enim apud Gentiles quoque pro infami supplicio habita fuit, quo cives Romani aut liberi non affecti fuerunt. Quando igitur hinc Christum crucifixum esse audimus, meminimus nos, nostræ causa factum, qui maledicti fuimus, ratione legis, quam non impleveramus, Deut. 27. v. ult. Christus igitur pro nobis maledictum factum est, quo nos à maledictione legis redimeret, Gal. 3. v. 13. Sicut & Moses serpentem exaltavit in deserto, qui typicè Christum in plenitudine temporis in ara crucis exaltandum referret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam, Joh. 3. v. 15.

2. *Speciatim*. Crucifixerunt enim cum eo duos latrones, unum à dextris, & alium à sinistris ejus, Jesum autem medium. Et impleta est Scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis

iniquis reputatus est, ut Esaias dudum prædixerat, c. 53. v. ult.

Reminiscemur nos Christi, quando & ipsi cum iniquis reputamur tanquam *περιψηματα & καβαζματα*, 1. Cor. 4. v. 13. Servus enim non major Domino est, Joh. 15 v. 20. si vero Christo compatimur, & conglorificabimur, Rom. 8. v. 17.

2. *Secundum Consequentiam*, ubi notanda:

1. *Christi pro crucifixoribus oratio*. Dicebat enim Jesus: Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.

Judæi non ignorabant, Christum innocenter pati, Pontifices enim per invidiam ipsum tradiderant, Matth. 27. v. 18. ignorabant vero quod Filius Dei, seu Messias esset. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, 1. Cor. 2. vers. 8.

O quot inter nos sunt, qui Christum optime agnoscunt, quod Filius Dei & Messias à Deo missus sit! & tamen peccatis suis crucifigunt eum, Hebr. 6. v. 6, c. 10. v. 25. *Non minus peccant, & blasphemant, qui in cordibus quibus crucifigunt, quam qui verbis crucifigunt.*

Imprimis vero hinc maxima manducatio Servatoris elucescit, de qua Bernhardus: Judæi clamant crucifige, Christus oratignosce. Id ipsum nos quoque faciamus: Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos, Matth. 5. v. 44.

2. *Tituli trilinguis adornatio*. Moris namque fuit, ut hoc modo supplicio affectis in tabella causa delicti appenderetur, quo omnibus innotesceret, qua ex causa tam rigorosa sententia lata esset super eos. Ubi observanda

1. *Verborum ponderatio*. Erat enim superscriptio hæc scripta, literis Græcis, & Lati-

nis & Hebraicis: Jesus Nazareus, Rex Iudæorum.

Hoc præclarum Epitaphium est, quod Pilatus Christo erexit, eoque gloriam & Majestatem ejus inficius promovit. Vere enim Christus Rex Iudæorum erat: sed non terrenus Rex, à quo Imperator Romanus sibi metueret: sed in hoc natus erat, & in mundum venerat, ut testimonium perhiberet veritati, Joh. 18. v. 37. Ideoque hoc ipso mortis reus non erat. Quia vero Pilatus aliam causam non sciebat, hoc sufficere putat: sed seipsum ita prostituit, quod Christum innocenter ad mortem condemnaverit, & in tribus linguis Cardinalibus injustitiam suam divulgat, idque nostrum in solatium. Talis enim decebat, ut esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, Hebr. 7. v. 26.

Hoc probe advertite vos mei! Christus cruci affixus est, ut neque manus neque pes officium facere possint, & tamen omnipotente sua virtute manum Pilati dirigit, ut non aliter scribere possit, ac res ipsa erat. Unde apparet, Dominum esse, qui omnia mala ad bonum dirigere, & imprecationem Bileami in benedictionem commutare valeat, Num. 23. vers. 4. Non enim est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum, Prov. 21. vers. 30.

2. *Pontificum reformatio*. Nam hunc titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope civitatem erat locus: ubi crucifixus est Iesus. Sine dubio hinc ab uno atque altero varia judicia lata fuerunt, quæ ipsis non adeo arriserunt, ideo dicebant Pilato Pontifices Iudæorum: Noli scribere Rex

Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum.

Discimus hic, quomodo illi, qui legendi & scribendi peritia pollent, adeoque non ignorant, quid iustum & æquum sit, tamen veritati non obtemperant, sed in præconcepta opinione persistent, nec per Scripturam emendentur, horum damnatio aliquando eo major erit. Scienti enim bonum facere, & non facienti, peccatum est illi, Iac. 4. v. ult.

Videmus quoque, quomodo Diabolus omni studio contra nitatur, si gloria Christi promovenda est, est enim mendax & homicida ab initio, Ioh. 8. v. 44. imitantur autem illam qui sunt ex patre illius, Sap. 2. v. ult.

3. *Pilati ratificatio*, qui dicit: Quod scripsi, scripsi. Ita Christus Rex manet, ringentibus licet Diabolis & tyrannis, nam consilium meum stabit, ait Dominus, Esa. 46. v. 10.

Quemadmodum vero Pilatus inscriptionem suam mutare noluit: ita nobis plus cautæ est, verbo DEI scripto inhærere. Hic enim similiter locum habet: Quod scriptum, scriptum: non addas quicquam, nec minuas ex illo, Deut. 12. vers. 32.

3. *Vestimentorum Christi ab alienatio*, descripta

1. *Causaliter*, facta enim est à militibus, qui servabant eum ibi. Semper enim metuebant, ne liberaret se, aut à populo liberaretur. Sicut hodie carnifex facinorosos gladio aut laqueo necare solet, postquam sententia mortis à Magistratu lata est: sic idem olim milites fecerunt, ideo vestes ipsis debebantur, sicut adhuc hodie carnifex

vestimenta ultimo supplicio affectorum sibi arrogat.

Hoc ita cum voluptate milites effecerunt, sicut adhuc hodie ipsis volupe est arcas aliorum spoliare, hominesque vestibus nudare. At panis hic mendacii tandem implebit os eorum calculo, Proverb. 20. v. 17. Juxta illud: Qui te spoliaverunt, spoliabuntur, Jer. 30. v. 16.

2. *Materialiter*: indicant enim Evangelistæ, quas vestes partiti fuerint. Christus qui propter nos pauper factus, non multis vestibus instructus erat. Ideo quando Evangelistæ memorant, quod milites vestimenta ejus in quatuor partes diviserint, non ita intelligendum est, quasi Christus quatuor vestes habuerit. Minime. Sed ut Judæi palliis utebantur ex quatuor alis, Deut. 22. v. 12. Ita & Servator ejusmodi pallium habuit, quod milites facili opera dividere potuerunt. Tunicam vero, quia inconsutilis erat, desuper contexta per totum, non sciderunt, alias nemini quicquam profuisset.

Sed & hodie adhuc Christus vestibus suis spoliatur. Quod non modo milites, sed & omnes illi faciunt, qui bona Ecclesiastica administrant, quæ ad conservationem cultus divini Ministerii & Scholarum à piis veteribus ordinata sunt, quando ea ad se rapiunt, & in proprium commodum convertunt. Verum grande peccatum est, quod Deus non modo hinc temporaliter punit, maledictione immissa Sacilegorum hujusmodi bonis, ut omnia dilabantur, Mal. 3. v. 9. Sed nisi pœnitentiam agant, puniet eos Deus igne infernali: neque enim fures, neque rapaces, neque iniqui Regnum Dei hæreditabunt, I. Cor. 6. v. 10.

3. *Formaliter*: facta enim est vestimentorum partitio

1. *Per tesserarum ludum*, ut Veteres autumant. Hoc non incommode hæreticis & Sophistis applicari potest, de quibus expresse Paulus scribit, quod Scripturas, quæ spiritualiter tuicæ Christi conferri possunt, tractent, ut aleatores tesseras, has detorqueant, quo inde eliciant, quæ scopo suo intervire putant. Eò respicit laudatus Apostolus, quando Ephesios suos monet, ne fluctuantes circumferantur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Ubi in Gr. est vox *κυσβεία*, ad quam B. Lutherus in margine notat: sicuti nebulones talis, sic qui traditiones humanas docent, Scripturis utuntur, Eph. 4. v. 14.

2. *Per sortis iactum*. Hoc non culpandum fuisse, si illud quod sorte dividebant, licite comparassent.

Sic Josua Israëlitis Palæstinam sorte distribuit, Jos. 14. v. 15. seqq.

Saul Rex super Israël sorte electus est, 1. Sam. 10. v. 21.

Apostoli ipsi Matthiam sorte ad Apostolatam in locum Iudæ elegerunt, Act. 1. v. 25.

Idem si adhuc hodie rite fit in partitione bonorum, aut electione idonearum personarum ad officia certa, Deus intererit, & ad felicem eventum negotium deducet: sortes quippe mittuntur in finem, sed à Domino temperantur. Prov. 16. v. 33.

Id milites non fecerunt, sed vestimenta Christi distribuerunt inter se, qui innocenter morti adjudicatus fuerat: sed factum est, ut impleretur, quod David præ-

dixit: Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem, Psal. 22. v. 19.

4. *Matri consolatio*. Nam cum vidisset Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce, filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce, mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

Hic notandum:

1. *Christi alloquium*, quo matrem suam vult erigere. Vocat enim mulierem non matrem, aut propterea, ne ludibrium multum illam exponeret, aut, ut alii sentiunt:

Ne materna pium cruciarent viscera nomen.

Maxime vero hoc ipso Pontificiorum idololatriam prævertere, & palam contestari voluit, se solum calcare torcular, nec quenquam de populis esse secum, neque matrem, neque Apostolorum aliquem, Esa. 63. vers. 2. ideoque unus ille Mediator DEI & hominum dicitur, 1. Tim. 2. vers. 5.

Hoc vero Servator afflictæ matri suæ diciturus est: O suavissima, ô tristissima mater! Fui hæc tibi filius tibi obediens, omnemque filialem amorem & fidem tibi præstiti: sed jam Vale tibi dico. Sed noli contristari nimium, fidele tibi subsidium procurabo: Ecce, hic filius tuus! hæc mei loco tibi opem feret, & in tutelam & patrocinium suum te suscipiet.

Deinde ad Iohannem se convertit, dicens: Ecce, mater tua! q. d. Nosti me semper sine te dilexisse, id ipsum matri meæ rependas velim, recipe illam in tutelam tuam,

etiam, ipsa vicissim, quod probam matrem decet, respectu tui perfungetur.

Videmus hinc, sicut Christus matri suae valedicit, ita & nobis aliquando mundum relicturis, amicis nostris optimis valedicendum fore. Perpetuum enim hoc foedus est mortis, quod morieris, Sir. 14. v. 18. Et licet vitam nostram multos in annos produxerimus, tandem tamen ab invicem divellemur, nos discedimus, amici vero & propinqui nostri hinc relinquuntur. Qui quidem non longius, quam ad sepulchrum, sicut Maria Christum usque ad crucem, nos deducere valent, inde reversuri.

Sicut vero Maria die Paschatos filii sui ad specum vicissim fruitur, & cum ipso in caelesti gloria & beatitudine triumphat: Ita quando Rex Regum & Dominus Dominantium die ultimo, comitia sua universalia indicturus est, tum vicissim mutuo conspiciemus nos;

Tunc cum fratre soror, nati cum patribus ibunt.

Unde dies extremus dies restitutionis omnium dicitur, Act. 3. v. 19. ubi Sabbathum ex Sabbatho, & Pascha ex Paschate celebraturi, cum B. Angelorum Choro laetum illud *Tergo dicitur* insonabimus: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria ejus, Esa. 6. vers. 3.

Observate hoc ad instructionem vestram, Vos liberi! ut parentum vestrorum senio confectorum curam habeatis. Fili suscipe senectam patris tui, Sir. 3. vers. 14. seqq.

Observate hoc viduae & pupilli in solatium! Christus vestri curam gerit, tanquam Pater orphanorum, & iudex vidua-

rum, Psal. 68. v. 6. Non desunt ipsi fideles Johannes, qui consilio atque ope subveniant vobis, ideo confidite! non derelicti à Deo estis, ipse erit vobis in Patrem, excitabit, qui vos in curam & clientelam suam recipiant. Quod si non eadem fortuna utimini, qua viventibus parentibus & maritis vestris usi estis: animas vestras in patientia custodite. Maria quoque Christum dimittere & Johanne contenta esse tenebatur. Ante Mater Filii Dei erat, jam vero filium Zehedæi adoptare cogitur, quod æquo animo suffert, nec adversus Deum murmurat. Idem & ipsi facite, Vos mei! DEUM siquidem diligentibus omnia in bonum cooperabuntur, Rom. 8. v. 28.

2. *Johannis obsequium*, quod Evangelista ita indicat: Ex illa hora accepit eam discipulus pro sua, Non cum carne & sanguine deliberat, nec de alimentis sollicitus est: sed continuo eam ad verbum Christi assumit, & pro matre honorat.

O beatos! qui hac in parte Johannis vestigiis insistant! Adhuc hodie multæ derelictæ viduæ & orphanæ occurrunt, quos nobis omnibus Christus commendat, dicens: Ecce mater tua! Ecce filius tuus! beatos illos, qui exemplo Johannis eorundem sedulam rationem habeant.

In specie observent hoc verbi Praecones, ut tanquam fideles Johannitæ eosdem sedulo invisent, ex verbo Dei confirmet, & ut Eleemosynæ rite distribuantur, prospiciant: Religio munda & immaculata apud DEUM & Patrem hæc est, Jac. 1. v. ult.

Johannitæ fideles sint Christiani Magistratus, ut illis ex æquo justitiam admini-

ministrent, nec eosdem lædi permittant, ut Deus mandavit, Exod. 22. v. 22. Talis fuit Iobus. cap. 29. v. 12. & seqq.

Ejusmodi Iohannitæ Christiani sint in genere omnes, ut necessitatibus Sanctorum libenter communicent, & pro facultatum modulo iisdem tribuant, 1. Tim. 6. v. 19. Epla 58. v. 7, 9.

Iohannes Evangelista provecta ætate solus ex omnibus Apostolis naturali morte obiit, propterea, quia hîc Matrem Dei ad eo promte recepit: Ita Deus largissime compensaturus est, quod derelictis viduis & orphanis boni exhibetur: Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam, Matth. 10. v. ult.

5. *Populi iudificatio.* Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua & exprobrantes ei,

1. *Templi structuram,* quod dixerit, se destructurum templum Dei, & in triduo illud reedificaturum. Id ille dixerat, sed de templo corporis sui, Ioh. 2. v. 21. Illi vero verba ejus pervertunt, ut adhuc hodie non raro ab obtrectatoribus fieri amat. Sæpe enim fit calumnia. Et non omni verbo credas: est qui labitur lingua sua: sed non ex animo. Quis est enim, qui non deliquerit in lingua sua, Sir. 19. v. 16.

2. *Aliorum curam.* Alios dicunt, salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. O impietatem! Utrique Christus hætenus multos salvos fecerat, cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam restituendo, claudos & leprosos sanando, nec non mortuos resuscitando. Id merito prædicandum ipsis fuisset, commiserationem juxta suam contestantibus. Illi vero ludibrio ipsum habent

dicentes: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Q. d. Iam liquido apparet, quid Iesus Nazarenus possit! Nisi miracula ejus præstigiæ fuissent, jam in seipso artem utique probaret, qua jam maximo pere ille indigeret.

Id hodie tenus sæpe pii Christiani experiuntur, quando in calamitates incidunt, ut religio eorum despiciatur, & rideatur. Ubi est pietas tua, ait Diabolus & satellites ejus: aliis subvenisti, multasque Eleemosynas erogasti, quid inde emolumentum capis? Tibi non minus moriendum ac aliis qui id non fecerunt. Vanum est servire Deo, Mal. 3. v. 14. Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo & more, Iob. 2. v. 9.

3. *Spem vanam.* Confidit in Deo, ajunt, liberet eum nunc, si vult. Item: Dixit, Filius Dei sum. Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credemus ei.

Hæc gravissima tentatio est, qua hodie adhuc Diabolus multos pios Christianos oppugnat, ut persuadeant sibi, se non in numero Electorum Dei esse: fecus enim in ærumnis minime dereliquerentur à Deo. Verum in his & aliis hujusmodi tentationibus solatiumprehendamus, quod Christus omnes tentationes exsuperaverit. Id nostro bono factum: ideo longe vincimus propter eum, qui dilexit nos, Rom. 8. v. 37. & omnia possumus in eo, qui nos confortat, Christo, Phil. 4. v. 13.

Equidem non parum animum mordet, si juxta damnatum etiam contumeliam experiaris, *Generosus animus contumeliam pati non potest*, inquit Seneca. Verba suffurionis sunt quasi vulnera, & ipsa perveniunt, usque ad interiora ventris, Proverb.

18. v. 8. Verùm idem quoque Christo accidit. Præterea eadem passio fit nostræ, quæ in mundo est fraternitati, 1. Petr. 5. v. 9. Optima apologia innocentia est, Augustino dicente, 1. Petr. 4. v. 15. Matth. 5. v. 12.

6. Latronis salvatio. Ubi notetur

1. Procedendi modus. Per omnem vitam suam homo nequissimus fuerat, multumque sanguinis innocentis profuderat, sicut & propterea ad ignominiosum crucis supplicium condemnatus erat. Quod si in illis peccatis vitam finiisset, sine dubio æternæ damnationis Candidatus fuisset. Verùm prodit pœnitentiam infucata

1. Socium corrigendo, qui Christum cum prætereuntibus blasphemabat, dicens: Si tu es Christus, salvum fac teipsum & nos. Id alter minus ferre poterat, iccirco objurabat ipsum, inquit: Neque tu times Deum, qui in eadem damnationees?

Hoc opus caritatis erat, ad quod nos hodiè tenus obstringimur. Qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvabit animam ejus à morte, Jacob. 5. v. ult.

2. Peccata confitendo. Nos quidem justè, ait, nam digna factis recipimus. Ita cum filio prodigo ad frugem redeamus, dicentes: Peccavi Pater! Luc. 15. v. 21. Quod si dixerimus, peccatum non habemus &c. 1. Joh. 1. v. 9.

3. Ad Christum confugiendo. Dicebat enim ad Jesum: Domine, memento mei, cum veneris in Regnum tuum. Hæc præcatio è verâ fide profecta fuit, quâ hic latro Christo crucifixo adhærescebat, tantâ fiducia, ut minimè dubitaret, licet in cruce penderet, quin se in Paradisum perferre, &

salutis compotem reddere possit. Siquidem hic per Paradisum nihil aliud, quàm vita æterna intelligitur, quod & Paulus raptus audivit *phœara appera*, 2. Cor. 12. v. 4.

Firmâ fide præditi fuerunt Magi ex Oriente, ubi Christum in scæno & præsepio jacentem, tanquam mundi Servatorem adoraverunt. Sed quid hoc respectu fidei hujus latronis, qui Christum crucifixum, ab omnibus, Deo quoque derelictum invocavit?

Nos quoque ignominia Christi minimè absterreat à semel agnitâ veritate: sed dicamus cum Bernharo: *Crucis Christi ignominia, maxima Christianorum gloria*. Beatus, quisquis non fuerit scandalizatus in eo, Matth. 11. v. 6.

2. Salutaris eventus. Respondit namque illi Jesus: Amen dico tibi, hodiè mecum eris in Paradiso.

Hoc exemplum in solatium nostrum observemus, ne desperemus, si peccata & conscientia nos angant. *Si latro salvatus est, quis desperet?* ait Augustinus. Ubi exsuperat peccatum, ibi exsuperat & gratia, Rom. 5. v. 21.

Sed caveamus, ne gratia Dei ad securitatem abutamur, & exemplum latronis ad impietatem trahamus, ut procrastinemus pœnitentiam dicentes: Peccavi, & quid mihi accidit trister? Altissimus enim est patiens, Sir. 5. v. 4.

Pœnitentia enim sera, ratò est vera. Legi & perlegi totam Scripturam, & neminem inveni in duobus millibus annorum salvatum fuisse in fine, nisi latronem in cruce, ait Augustinus. Quis igitur ad hoc exemplum se referret?

Ah dubito, ne gratia  
Quâ sic abusus est datâ  
Hunc derelinquat tandem.

Si tibi cibus proponeretur, qui centum  
hominibus mortem conciliasset, & unus  
saltem indemnis evasisset, num adedò stolidus  
fores, ut eâ vesceris? Non puto.  
Sic illi homines prorsus obdurati sunt, qui  
ad exemplum latronis pœnitentiam usque  
ad finem vitæ procrastinant. Ecce!  
nunc tempus acceptabile, ecce! nunc  
tempus salutis est, 2. Cor. 6. v. 3. *Quærite*  
ergò Dominum, dum inveniri potest, Esa.  
55. v. 6. *Hodiè, si vocem ejus audieritis,*  
nolite obdurare corda vestra, Psalm. 95.  
v. 8.

Nemo tam Divos habuit faventes  
Craftinum ut possit sibi polliceri,  
Res Deus nostras celeri rotatas  
Turbine versat.

Cum quo consentit Salomo, Prov. 27.  
v. 1. & Siracides cap. 18. v. 26.

Veri Christiani eò pœnitentiam non  
differunt: sed in tempore peccatorum  
ostendunt conversionem suam, Sir. 18. v.  
21. & ex juramento Christi certi sunt,  
quod & sibi ille Paradisum aperuerit, ut  
per mortem eò transeant, & vitam æter-  
nam adipiscantur, Joh. 5. v. 24.

### De Tertio.

Succedit III. Pars, nempè, *Beata Christi*  
*Sobdormitio*: in quâ notetur

1. *Mors Christi deplorabilis*, quæ descri-  
bitur

1. *Secundum antecedentia*: ubi occurrit

1. *Noctis horror*. A sexta enim horâ, tene-  
bræ factæ sunt super universam terram,

usque ad horam nonam. Judæi diem in  
duodecim horas dividere, & ab ortu Solis  
incipere solebant. Cum itaque Sol sex ho-  
ras radios suos projecisset, & jam ad sum-  
mum pervenisset, ecce! subito & inopi-  
nato ille obscuratus est, quod duravit à  
sexta hora usque ad nonam, h. e. si ad no-  
strum horologium revoces, ab ipso meri-  
die usque ad tertiam, sicut dudum Amos  
prædixerat: In die illâ, inquit Dominus,  
occidet Sol in Meridie, & tenebrascere fa-  
ciam terram, in die luminis, Amos 8. v. 9.

Hæc eclipsis non naturaliter facta est,  
ut aliàs in Sole & Lunâ anniversariè eclip-  
ses certæ fieri solent: Naturaliter enim  
illæ fieri solent, non in plenilunio, sed in no-  
vilunio, quando Luna inter Solem & Ter-  
ram interjacet, & corpore suo opaco ra-  
dios Solis, ne in terram cadant, impedit.  
Hæc verò facta est in plenilunio, die 15. pri-  
mi mensis, quo Judæi Pascha suam cele-  
brabant, Exod. 12. v. 18. Præterea in Judæâ  
non modò facta: sed ut textus meminit:  
*ὅτι πάσαν τὴν οἰκουμένην*, ita, ut non modo  
Romæ, Orosio teste: sed & in Ægypto &  
in specie Heliopoli illa observata fuerit.  
Siquidem Suidas memorat, quod eruditi  
illi duo viri, Apolliphanes & Dionysius  
Areopagita super illa discusserint, ubi  
Apolliphanes dixerit: *ὡ καλὸν Διονύσιον ἀμ-  
βασί τῶ θεῶν πραγμάτων*. Omi Dionysi,  
mutatio divinorum operum instat. Cui  
Dionysius responderit: *Ἡ τὸ θεῶν πάχη, ἢ  
τῶ πάχοντι συμπάχη*, Aut Deus patitur,  
aut vicem patientis dolet: tres enim horas  
continuas duravit illa, quod aliàs prorsus  
insolitum est.

Hæc Eclipsi Deus subinnuere voluit

1. *Filii sui innocentiam*. Quia enim impii

Judæi

Judæi adeò crudeliter eum tractabant, nemine commiserationem cum illo habente: Sol vestem lugubrem induit, hoc ipso misericordia erga fratrem suum Solem justitiæ motus, Mal. 4. v. 2. quin & indicare simul voluit, inhumanam illam tyrannidem, quam Judæi in Creatore suo exercerent. Nos igitur fugiamus peccata, ne Sol propterea obscureretur. Congemiscit enim creatura, quod invita vanitati subjecta esse cogitur, Rom. 8. v. 20.

2. *Futuram lucis carentiam.* Quia enim tenebras plus dilexerunt, quam lucem, Joh. 3. v. 19. Deus lucem verbi sui illis planè subtraxit, ut jam in tenebris palpent sicut cæci, oculis suis non videntes, auribus suis non audientes, & corde suo non intelligentes, Esa. 6. v. 10. Hæc justa Dei judicia sunt, de quibus Paulus: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, Act. 13. v. 46.

Nos ejusmodi ingratitude declinamus, in luce ambulantes, dum lucem habemus, ne tenebræ comprehendant nos, Joh. 12. v. 35. Non enim irridetur Deus, Gal. 6. v. 7. 2. Theff. 2. v. 11.

3. *Passionis Christi efficientiam.* Sicut enim horribiles tenebræ factæ sunt, in universa terrâ Ægypti tribus diebus, ut nemo viderit alterum, nec de loco se moverit, cum Deus populum suum à tyrannide Pharaonis redempturus esset, Exod. 10. v. 22. ita etiam tenebræ trium horarum factæ sunt in toto orbe terrarum, ubi Christus morte suâ lapsus genus humanum de tyrannide infernalis Pharaonis, & æternæ damnationis redimere, atque in cælestem patriam reducere voluit. Hoc ipso crucem nostram sanctificavit, ne desperemus, si & nobis quandoque Sol occidat, ut cum Jo-

bo quiritemur: Noctium molestissimarum mihi numerus factus est, Job. 7. v. 3. quin & ab æternis tenebris nos redemptos, fecit nos idoneos in partem sortis Sanctorum in lumine, Col. 1. v. 12. quod grato animo recolentes, infructuosis tenebrarum operibus ne communicemus, Eph. 5. v. 12. sed honestè, sicut in die ambulemus, Rom. 13. v. 13. lucentes, sicut luminaria in mundo, in medio nationis pravæ atque perver-sæ, Phil. 2. v. 15.

2. *Christi clamor, qui describitur*

1. *Formaliter.* Circà enim horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, eli lamma azabthani? h. e. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? quæ verba desumpta sunt ex Psalmo 22. qui à capite ad calcem de passione & beneficiis Christi agit. Hoc clamore Servator non modò innuere voluit dolores corporis sui, sicuti hunc clamorem incipiens jam tum tres horas in cruce pependèrat: sed potius internum, omnibus inenarrabilem animi angorem, quem ratione iræ Dei, ob nostra & totius mundi peccata, quæ susceperat, ipsum urgentis, sentiebat: legis maledictio terrebat ipsum, Satanas tela sua ignita in eum detorquebat, circumdabant eum laquei mortis, & torrentes Belial conturbabant eum, Psal. 18. v. 5. vitæ ejus inferno appropinquabat, qui hiante rictu ipsum deglutitum ibat, Psal. 88. v. 3. si se ipsum intuebatur, nò modò totum corpus ejus cædè vulneratum erat: sed quoque in ligno maledictio inter duos maleficos intermedius pendebat: omnes, qui præteribant, animum ejus aculeatis sarcasmis vulnerabāt: Sol magnus ille mundi oculis obscuratus lumè suum abscondebatur, quo ipso Pater ejus cælestis ira-

ira-

iratum quasi vultum suum ostendebat. In his angustiis respectabat, & nullus liberator aderat, unde non immeritò lamentabatur: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

Discimus hinc,

1. *Peccati atrocitatem*, quod tanta abominatio in oculis Dei est, ut proprium quoque atque unigenitum Filium suum, ob aliena peccata tantis anxietatibus immerferit: quilibet proinde cogitet: si hoc factum in ligno viridi, quid fiet in arido? Luc. 23. v. 32. non quoque adeò facile peccatis assentiamur, ut dicamus: Peccavi, & quid mihi accidit triste? Tàm cito enim irasci potest quàm misereri, & ira illius in peccatores non desinit, Sir. 5. v. 4. 7.

2. *Tentationis interna gravitatem*. Multæ & variæ afflictiones in mundo sunt, ut quasi in tribulationibus navigemus, sicut **N**och tempore diluvii, Gen. 7. v. 18, Eccles. I. v. 8.

Verùm qualiscunque tandem sit corporalis ærumna, nihil tamen æstimanda est, respectu spiritualis tentationis. Nihil est tentatio quæcunque, vel universi mundi, vel totius simul inferni in unum conflata, ad eam, qua Deus homini contrarius ponitur, hæc est ipse infernus, ait B. Lutherus.

Quando igitur Deus tibi morbum, vel aliam quamcunque corporalem afflictionem immittit, æquo animo perfer eam. Quem enim diligit Dominus castigat, Hebr. 12. v. 6. seqq. Quod si verò eidem placet, spiritualibus te tentationibus immergere, confirmes te exemplo Christi, qui dolores infernales tui quoque causa sustinuit. Debuit enim per omnia assimilari

fratribus, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, & ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est eis, qui tentantur, auxiliari, Hebr. 2. v. ult. Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, Hebr. 4. v. ult.

3. *Orationis necessitatem*. Sicut enim Servator noster in mortis angore ad Patrem suum convertit se, orans: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me! Ita in calamitatibus non salutaris remedium adhibere possumus, quàm orationem. Tristatur aliquis vestrum? oret, ait Jacobus c. 5. v. 13. Psal. 145. v. 18. 19.

Imprimis verò aureolum Psalterii commendatum tibi habeas, quod Servator ipse in tantis delictis habuit, ut inde quartum & ultimum verbum mutuaverit. Quid in Psalorum libro non invenies, unde te possis consolari? ait Cassiodorus. Et Cosmas Episcopus Constantinopolitanus, in exilium ire iussus, ad famulum suum dixit: Tolle Psalterium, & sequere me.

II. *Eventualiter*. Ad hunc Christi clamorem, quidam illuc stantes & audientes, dicebant: Heliam vocat iste. Hæc erat depravatio verborum Christi, ex ignorantia linguæ profecta. Non verò verba desperantis, ut nonnulli impie effutiant: Sed confidentis: quo innuere Christus voluit, licet in præsentia gratiam Dei non sentiat, sed potius indignationem & furorem, se tamen fiduciam suam filialem non abjecturum esse.

Imitare hoc exemplum Servatoris tui: noli animū in adversis despondere: sed memento, Deum Patrem tuum esse, qui te nō deseret, neque derelinquet, Heb. 3. 5. El. 49. 15

3. *Sitis ardor*, ubi noranda

1. *Querela*: Sciens namque Jesus, quia omnia jam consummata sunt; ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio.

Cum Simson maxillâ asini mille viros Philistiim percussisset, magnâ siti urgebatur, ideoque clamabat ad Dominum, dicens: Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximâ, & en! siti moriar, Jud. 15. 18.

Idem quoque accidit cœlesti Samsoni, Servatori nostro Jesu Christo, postquam cum hostibus nostris, peccato, morte, Diabolo & inferno manus conseruerat; aruit tanquam testa virtus ejus, & lingua ejus adhæsit faucibus, Psal. 22. v. 16. Propterea ait, Sitio.

Est hæc

1. *Sitis meritoria*. Nos conjiciendi fuimus in puteum, in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11. siti que macerandi cum Epulone in abyssu infernali, in æternum, Luc. 16. v. 24. Verùm Christus hic sitim sustinuit, & hoc ipso fontes saluatorios aperuit, ut non modo hîc in tempore gratiæ è fontibus Israelis, h. e. verbo Dei, in omni afflictionum æstu potum refrigerii hautiremus: sed & aliquando eò perveniremus, ubi non esuriemus, neque sitiemus amplius &c. Apoc. 7. v. 16.

2. *Sitis informativa*, docens nos

1. *Veram Christi humanitatem*. Sic enim, humana proprietates est. Sic Scriptura eum esurisse memorat, Matth. 21. v. 18. similiter fatigatus, Joh. 4. v. 6. captus, victus, flagellatus, spinis coronatus, crucifixus & occisus est. Veteres hæretici Christum corpus suum de cœlo attulisse, dissimile corporibus nostris, quod per uterum Mariæ Virginis transierit, sicut unda per canalem:

Alii corpus Christum planè non habuisse, sed in specie tantùm humani corporis in terris ambulasse, somniarunt. Sed hoc falsum est. Per omnia enim assimilatus est fratribus suis, Hebr. 2. v. 17. Hoc nisi esset, tenui fueremur solatio. Nam ut Damascenus ait: τὸ ἀπόσληπτον ἀθεράπευτον. Quod si igitur Christus naturam nostram non assumsisset, adhuc in peccatis nostris effemus, sicut propterea lapsos Angelos in æternû damnatos esse oportet, quia Christus non Angelos, sed semen Abrahæ assumit, Hebr. 2. v. 26.

2. *Membrorum Christi conformitatem*. O quoties Christus adhuc hodiè in membris suis clamat, Sitio. O quoties ipse illuditur & acerbis verbis repellitur. Hoc grave peccatum est. Qui enim habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clausit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo? 1. Joh. 3. v. 17. Quibuscunque igitur id contingit, Christi exemplo confirmet se, qui fame & siti suâ, quæ in mundo perpeffus est, omnes defectus fidelium suorum ita sanctificavit, ut ipsis in bonum cedant. Veniet aliquando tempus, ubi illos ad aquas refectionis ducet, & inebriabit eos, Psal. 23. v. 2. 5. Esa. 65. v. 14.

3. *Sitis exhortatoria*. Christus ait, Sitio. Sitemus & nos justitiam, hi enim beati sunt, & saturabuntur, Matth. 5. v. 6.

Multi sitiunt vinum & cerevisiam, sicut potentes ad bibendum, Esa. 5. v. 22. aut divitias & opes, ut Nabal, 1. Sam. 25. v. 11. aut mundanam gloriam, ut Achitophel, 2. Samuel. 15. v. 1. aut humanum sanguinem, ut Cain, Gen. 4. v. 9.

Verùm sitis hæc nociva est, æternam

ff

sitis

fitim in inferno post se trahens. Idèd pii Christiani mundanas concupiscentias abnegent, Tit. 2. v. 11. dicentes cum Augustino: Sitio Domine, fons vitæ es, satia me, Domine, sitio te Deum meum. Pl. 42. v. 1.

2. *Medela, facta*

1. *Aceti correptione.* Ubi enim Christus adèd miserabiliter de siti suâ conqueritur, quidam ex militibus ad vas positum aceto plenum properat, implens spongiam aceto, circumponensq; calamo, potâ dat ei.

Nonne commiseratione dignum, eum, qui omnes fontes creavit, eosque adhuc hodiè enittit in cõvallibus, ut inter medium montium transeant aquæ, & ex illis potètur omnes bestiaæ agri, Pl. 104. v. 10. 11. in mortis agone, ne quidem potum frigidæ habere, qui tamen nulli facinoroso, morti addicto, unquam denegatur, sed aceto, in siti validissima macerari?

Ne itaque molestè feras, mi Christiane! quando & ipse aceto potaris, seu pane lacrymarum cibaris, & lacrymis copiosè potaris, Pl. 80. v. 6. In alterâ vitâ te Jesus mensæ suæ admoyebit, inebriaturus te pinguedine domus suæ, & torrente voluptatis te potaturus, Psal. 36. v. 9.

2. *Sarcasmi annexione.* Dicit enim eum reliquis: Sinite, videamus, si veniat Helias, ad deponendum eum. q. d. Vocavit Eliam, quem brevi venire oportet, quia periculum seu mors in morâ est.

Videmus hîc, quomodo opprobrium miseræ pedissequa sit, & filii hujus seculi illudant piis, si & ipsi aceto potantur in hoc mundo. Verùm aliquando tempus ingraet, ubi Dominus in interitu ejusmodi illorum, vicissim ridebit, & subsannabit eos, Prov. 1. v. 26. Eadem quippè mensura, quâ

mensi fuerint, remetietur illis, Luc. 6. v. 38.

4. *Consummationis valor.* Dum enim exclamat Christus: Consummatum est, respicit hâc voce

1. *Ad varietatem predictionis.* q. d. Nunc semen mulieris caput serpentis contrivit, Gen. 3. v. 15. Nunc Siloh lavit in sanguine uvæ pallium suum, Gen. 49. v. 11. Nunc facîle intelliges, de quo David, Psal. 22. v. 1. seqq. Esaias, cap. 53. v. 1. seqq. Daniel, cap. 9. v. 26. aliique locuti fuerint. Summa: omnes prædictiones & typi, qui in V. T. me præfigurant, nunc impleta sunt.

Unde patet, quod Deus promissiones suas certissimè impleat, licet aliquamdiu differantur. Nequit enim mentiri, Hebr. 6. 18. Cælum & terra transibunt, Luc. 21. v. 33.

2. *Ad multitudinem passionis,* quam sustinuit in horto Oliveti, in Palatio Caiphæ, in Prætorio Pilati, in aulâ Herodis, & in loco Calvariæ, quamque pluribus persecuti sumus. Jam ait: Consummatum est. Omnes meæ miseriæ & cruciatus nunc tandem finiti sunt.

Hauriamus hinc solatium

1. *In spirituali tentatione,* quando Diabolus nobis exprobrat: En! hoc facinus admisisti! consummatum est! mensura impleta est! mecum descende ad infernum! Tu ei hoc Consummatum est oppone, dicens: Quis condemnabit me? Christus hîc justificat, qui pro omnibus peccatis meis satisfecit, Rom. 8. v. 34.

2. *In corporali tribulatione,* quando obdiuturnitatem ingemiscimus: Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usq; ad animam meam, Psal. 69. v. 2. Tum revocemus nobis in memoriam hoc Consummatum est, certissimò solatio freti, quod

licet

sicut Christi passio non perpetua fuit, ita nostram Consummatum est, tandem sit sequitur, ut cum Paulo dicere possimus: Bonum certamen certavi &c. 2. Tim. 4. 7.

3. In ultimâ emigratione. Uniuscujusque dies hominis determinati sunt, numerus mensium ejus apud Deum est: qui constituit terminos ejus, qui præteriri non poterunt, Job. 14. v. 5. Quando igitur hora destinata appropinquat, manibus ad Deum sublatis dic: Consummatum est. Sufficit Domine, 1. Reg. 19. v. 5. Nunc dimittis servum tuum Domine in pace, Luc. 2. v. 29. 31.

3. Ad opus Redemtionis. Unâ enim oblatione consummavit in sempiternum Christus eos, qui sanctificantur, Hebr. 10. v. 14. Iccirco nullâ opus est Missa, quæ in Papatu pro sacrificio incruento habetur, quod vivis æque ac mortuis applicari possit. Hoc figmentum omni Scripturæ fundamento destituitur. Consummatum est, dicit hic Servator. Sacrificia V. T. iteranda fuerunt, quæ tanquam imperfecta hominem à peccato non plene liberare poterunt, sicut Hebr. 10. v. 1. seqq. id evincit. Quod si igitur sacrificium Christi repetendum quoque foret, sequeretur hinc, quod imperfectum idem fuerit, quod cogitare, nedum asseverare, blasphemum. Sanguis enim Jesu Christi Filii Dei, emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 8.

Terrent igitur te peccata, quibus iram & indignationem Dei conciliasti tibi? Consummatum est. Christus donavit nobis omnia delicta, delens quod adversus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: Et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, Col. 2. v. 14. hoc ipso ira Dei expiata est, ut lætabundi glo-

riari queamus: Justificati fide, pacem habemus cum Deo, Rom. 5. v. 1.

Terret te mors? Consummatum est. Christus mortem absorpsit in victoriam, Ela. 25. v. 8. Sive vivimus, sive morimur Domini sumus, Rom. 14. v. 8.

Accusat te lex, maledictionem in te evomens, quia non servasti, quæ in eâ scripta sunt, Deut. 27. v. ult. Consummatum est. Christus legem universam implevit, jam nõ amplius sub lege, ejusdemq; maledictione sumus, sed sub gratiâ, Rom. 6. 14.

Infernus hiantè rictu te expectat? Consummatum est. Christus lues inferno factus est, Ose. 13. v. 14. Et ut summam complectar: In omnibus adversitatibus Christo nos confirmare possumus, qui nobis à Patre suo factus est sapientia, & justitia, & sanctificatio & redemptio, 1. Cor. 1. v. 30. ut jam de plenitudine ejus accipere possimus gratiam pro gratiâ, Joh. 1. v. 17. & omnia in eo possumus, Phil. 4. v. 13.

II. Secundum adherentia, ubi occurrit

1. Spiritus commendatio. Clamans enim Jesus voce magnâ, ait: Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum. In Græco vox est, quæ depositum amico tradere significat.

Si quis peregrè abiturus est, amico res suas caras custodiendas tradit, quo in re-ditu eas sarras testas recipiat. Pari modo Christus viam omnis carnis iturus, animam suam Patri suo custodiendam tradidit, certâ spe fretus, quod eam sibi tertio die redditurus sit: Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem, Psalm. 16. v. 11.

Id apprimè observemus, ut quando manè

ff 2.

igrit illa, ut ali-  
furgi- as Beng. pila pui  
pne in morte in mang  
dei validas comenda  
mg.

furgimus, semper dicamus: Pater in manus tuas committo Spiritum meum: item quando vesperi cubitum imus. Peccatum originale, quod in nobis habitat, non quiescit, Diabolus non feriat, sed die nocteque circumit velut leo rugiens, quarens, quem devoret, 1. Petr. 5. v. 8. Mors singulis momentis propius accedit, & quando vesperi dormitum nos conferimus, nescimus, utrum postridie resurrecturi simus. Ideo maxime opus est, ut nos piis precibus muniamus, & si terminus vitæ nostræ instat, fidei Creatori commendemus animas nostras in beneficiendo, 1. Petr. 4. v. 19.

Dei manus sunt *valide manus*. Quod si hostes potentiâ pollent, Deus multo potentior est, & dextrâ suâ omnes hostes nostros uno impetu prosternere potest, sicut Pharaon expertus est, Exod. 14. v. 24.

Dei manus sunt *longæ manus*, quæ per totum orbem se extendunt, ut illas nemo effugere possit. Si sumsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris: illic etiam manus tua duceret me, & apprehenderet me dextera tua, Psal. 139. v. 10.

Dei manus sunt *late manus*, quæ omnia complectuntur & possident. Domini enim est terra, & plenitudo ejus, Psal. 24. v. 1.

Dei manus sunt *beneficæ manus*, à quibus omnia habemus, Oculi omnium in te sperant, Domine &c. Psal. 145. v. 15. 16.

Dei manus sunt *fideles manus*, quibus nos ducit usque ad mortem, Psal. 48. v. ult. neminemque tentari finit, supra id, quod potest, 1. Cor. 10. v. 13.

Quod si igitur in omnibus adversitatibus, & præcipue in agone mortis ad fideles & paternas has manus confugimus, totus mundus non adeo potens est, ut nobis

vel minimum incommodum inferre valeat. Oves meæ, ait Christus, vocem meam audiunt, & cognosco eas, & do illis vitam æternam, Joh. 10. v. 27.

2. *Capitis inclinatio*. Et hæc dicens, ait Evangelista, inclinavit caput. Ad quæ verba Lyra notat: Ostendit ex modo moriendi, quod moriebatur ex obedientiâ Patris, & non involuntariè. Et Paulus ait, quod Patri factus sit obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, Phil. 2. 8.

Deinde hæc capitis inclinatione ostendere voluit, mortem non se, sed se potius mortem in potestate suâ habere, non enim ipso invito caput inclinatum est, ac si deliquit animi passo insperato sibi id accidisset: sed caput suum tantisper erexit, dum omnia consummavit. Propterea ait: Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso, Joh. 10. v. 18.

Tertio caput suum inclinavit ex ardente caritate, quâ erga nos incensus fuit. Hinc Augustinus: Salvator noster caput inclinavit, ut oscula daret electis suis: ideo vicissim ipsum osculo fidei honoremus, dicentes: Osculetur me osculo oris sui, Cant. 1. v. 1.

3. *Placida exspiratio*. Tradito enim Spiritu, exspiravit. Mors animam ejus non violenter è corpore rapere potuit, ut animam aliorum hominum, sed ipse ultro Spiritum suum tradidit, & ita placidè exspiravit.

Id nobis consolationem parit,

1. *Contra peccata*. Propter peccata enim nostra mortuus est, Rom. 4. v. ult. ideo Christus ipse mortem suam *agon* appellat, Matt. 20. 28.

2. *Contra mortem*. Per mortem enim suam destruxit eum, qui habebat mortis imperium, i. e. Diabolum, ut liberaret eos, qui

qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti, Hebr. 2. v. 14.

3. *Contra damnationem.* Nulla enim condemnatio in illis est, qui in Christo Jesu sunt, Rom. 8. v. 1.

III. *Secundum consequentia.* Ubi tria consideranda veniunt:

I. *Miraculorum notatio,* ut sunt,

1. *Veli scissio,* de qua Evangelistæ: Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo, usque deorsum.

Templum Hierosolymitanum in tres partes distinctum fuit.

Primo fuit *Atrium,* in quo Sacrificia offerrebantur.

Secundo fuit *Sanctum,* in quo Sacerdotes & populus cultum divinum peragebant.

Tertio *Sanctum Sanctorum,* in quo asservabatur arca fœderis, cum propitiatorio.

Ultima hæc templi pars obtecta erat velo, de purpura & hyacintho, coccoque bis tincto, & bysso retorta, arte contexto, ne quis introspicere posset: sicuti & nemini ingredi licuit, nisi summo Pontifici anniversarie semel tantum, nempe festo propitiationis, at non sine sanguine, sed ingrediens hirci sanguinem afferre, eoque septies ad propitiatorium adspargere tenebatur, ad expiationem populi. Vid. Exod. 26. v. 36. Lev. 16. v. 18. seqq.

Sed tempore Christi, ubi is in cruce expiravit, ecce velum hoc sponte scinditur in duas partes, à summo usque ad deorsum, ut quilibet introspicere possit Sanctum Sanctorum.

Quo indicata est

1. *Leviticæ Sacerdotii abrogatio.* Velum

templi scinditur, quia Synagoga honore nudatur, observatio antiqua dissolvitur, ait Augustinus. Hanc enim DEUS usque ad tempus correctionis observari voluit, Hebr. 9. v. 10. h. e. Novi Testamenti, ubi Deus novum fœdus pepigit, Jer. 31, 32. & pro umbra imaginem ipsam exhibuit, Hebr. 10. v. 1.

2. *Clausi cœli reseratio.* Velamentum scinditur, & hoc ipso superna nobis ostenduntur, dicit Nazianzenus. Lapsu Adami nobis ingressus in Sanctum Sanctorum i. e. in cœlum interclusus est: Verum per mortem suam Christus, tanquam summus N. T. Sacerdos in Sanctum Sanctorum introivit, lapsumque genus humanum sanguine suo cum Patre cœlesti reconciliavit, ut jam sine impedimento cœlum ingredi, Deumque lætis oculis intueri valeamus, Hebr. 9. v. 12.

Anteà nemo nisi summus Sacerdos quotannis semel tantum in Sanctum Sanctorum ingrediebatur, sed jam de omnibus nobis dicitur: Estis genus electum, Regale Sacerdotium, gens Sancta, populus acquisitionis, 1. Petr. 2. vers. 9. ideoque anniversarie non semel duntaxat, sed singulis horis & momentis cum sanguine Christi coram Deo apparere, & dicere possumus: Abba Pater, Gal. 4. vers. 6. In Christo enim habemus fiduciam & accessum in confidentia, quæ est per fidem ejus, Eph. 3. v. 12.

2. *Terræ motio.* Et terra mota est, dicunt Evangelistæ: id non modo in Judæa, sed & per totum terrarum orbem factum, quo multæ civitates partim plane corruerunt, partim adeo concussæ & dirutæ sunt, ut Imperator Romanus illis propterea concessisset.

fuctum tributum remisit, sicut Plinius & Orosius testantur.

Hoc inservit

1. *Piorum consolationi.* Israëlitis Ægypto exeuntibus, montes exultarunt, sicut atretes, & colles, sicut agni ovium. A facie Domini mota est terra, à facie Dei Jacob, Psal. 114. v. 6. 7.

Hic spiritualis redemptio facta, ideo terra & petrae motu & concussione sua quasi gratulari voluerunt nobis ratione liberationis nostrae: Creatura enim liberati gestit à servitute corruptionis, Rom. 8. v. 21, 22.

2. *Impiorum admonitioni.* Creaturae inanimae, quae ore & lingua destituuntur, quibus mortem Christi dolorosissimam lugere possint, non plane hic tacere, sed eo modo quo possunt, commiserationem suam indicare volunt, ut hic verum fiat illud Christi: Si homines tacuerint, lapides clamabunt, Luc. 19. v. 40.

Nos terrae atque petris non cedamus. Propter nos enim Christus mortuus est, ideoque multo magis contremiscamus ad peccata, quam moventur ligna sylvarum à facie venti, Esa. 7. v. 2. Scindamus corda, & non vestimenta nostra, Joël. 2. v. 13. Sacrificium enim Deo, Spiritus contribulatus: cor contritum, & contrafactum, Deus, non despicies, Psal. 51. v. 1.

3. *Sepulchrorum apertio.* Monumenta insuper aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.

Hoc ipso luculenter probavit, se potestatem habere vitae & mortis, tanquam

Ducem vitae, Act. 3. v. 15. qui die novissimo & nostros tumulos aperiet, & educet nos, populum suum, de sepulchris nostris, Ezech. 37. 12. Ubi caelestem Hierosolymam ingressuri, societatem habebimus, cum Patre & Filio, 1. Joh. 1. v. 3.

II. *Singularis operatio:*

1. *Respectu Centurionis.* Centurio namque & qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terrae motu, & his, quae fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere hic homo justus, & Filius Dei erat.

Hæc præclara concio funebris, quæ post mortem Christi habita fuit.

Quod si nos consulti, ecquis Christo, opere redemptionis exantlato, parentare debuisset, essemus, procul dubio in varias sententias abiissemus. Hic Angelo partes commisisset, quia & Angelus nativitatem ejus annunciaverat, Luc. 2. v. 10. Ille Esaiam calculo suo designasset, qui de Christi Passione, morte, & sepultura adeo perspicue vaticinatus est, quasi ea oculis suis inspexisset, Esa. 53. per totum. Iste Johannem delegisset, qui sub cruce stetit & quadriennium fere cum eo conversatus, laudes ejus quam optime effete potuisset. Verum & hic locum habet illud Prophetæ: Non cogitationes meae, cogitationes vestrae, Esa. 55. v. 8. Contra omnium enim hominum opinionem, hic Centurionem Praeconem sistit, qui Christo parentare tenetur. Viso enim terrae motu, & his quae fiebant, timuit valde dicens: Vere hic homo justus, & Filius Dei erat.

Hic videmus, quod quamvis Christus & veritas quandoque premantur, non tamen opprimantur, sed Palmam obtineant. Justitia tandem convertitur in iudicium, & post

& post illud omnes, qui recto sunt corde, Psal. 94. v. 15. Semper proinde infucatae pietati studeamus, quo bonum nomen confervemus, hoc enim magis permanebit, quam mille thesauri pretiosi & magni, Sir. 42. v. 15.

2. *Respectu universae plebis.* Omnis quoque turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quae fiebant, percutientes pectora sua, revertentur.

Id prodigiis adscribendum, & efficaci concioni, quam Centurio habuerat. Ita non frustraneum est, si adhuc hodie verbum Dei debito studio & zelo praedicetur, est enim verbum vitae, Joh. 6. v. 69. & potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16.

III. *Comitatus designatio.* Stabant enim omnes noti ejus a longe, & mulieres, quae secutae eum erant a Galilaea, haec videntes. In specie exprimuntur, Maria Magdalena, de qua septem Daemonia ejecerat, Luc. 8. 2. Et Maria Jacobi, & Jole mater, & mater filiorum Zebedaei, quae ante a Christo flagitarat, ut sederent Filii sui duo, unus ad dexteram, & unus ad sinistram suam in Regno ejus, Matth. 20. v. 21.

Hinc patet, quamvis feminae sint vascula infirmiora, 1. Petr. 3. v. 7. quod tamen saepe Deus per easdem plus efficiat, quam per viros. Virtus enim ejus in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12. v. 9.

Videmus quoque, consanguineos & agnatos Christum sequi, sed procul consistere, propterea queritur: Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meae, Psal. 69. v. 9. Id hodie quoque non insolens est:

Dum juvat, & vultu ridet fortuna sereno,  
Indelibatas cuncta sequuntur opes.  
At simul intonuit, fugiunt, nec noscitur ulli,  
Agminibus comitum, qui modo cinctus erat.

Vide Sirac. cap. 6. v. 8. Ideo caute ambulemus. Et quidem amicum probatum non facile dimittamus. Potissimum tamen Deum respiciamus, apud quem nulla transmutatio locum habet, Jac. 1. v. 17. Sed ut dilexit suos, in finem diligit eos, Joh. 13. v. 1. nec ullum confundi patitur, qui speravit in eo, Sir. 2. v. 11.

II. *Furor Judaeorum insatiabilis,* quo etiam in morte Christum prosequi non verentur. Equum fuisset ut horrenda illa prodigia, quae circa mortem Christi acciderant, Pontificum & Seniorum animos percussissent, & ad poenitentiam stimulassent, sed adeo obdurati sunt, ut odio atque invidentia Christi efferati, animam suam vindicta explete nequeant. Id elucelcit

1. *Ex Voto,* quo Pilatum fatigant, Deus in lege mandaverat, ne quis in ligno mortuus pernoctaret, sed in eadem die sepeliretur, Deut. 21. v. 23. Quo huic praeepto divino satisfaciant, rogant Pilatum, ut frangerentur crura eorum, quod ideo factum, ut magnitudine doloris, qui jam in extremis erant, citius morerentur, ut Cyrillus ait. Alias enim saepe vitam diu extendebant, sicut de B. Andrea memorat Augustinus, quod biduum in cruce vivens praetereuntibus concionatus fuerit.

Porti-

Pontifices vero hic Sabbathum præ-  
tendunt, quod geminum erat: semel, quia  
septimus hebdomadis dies erat: deinde  
quia Pascha ingruerat, quod ex Dei præ-  
cepto septem dies solenniter celebra-  
ndum fuit: ideo corpora per Sabbathum in  
cruce pendere inique ferebant, ne penden-  
tes diem magnam, sui cruciatus horrore  
fœdarent, ut Lyra scribit.

Verum hypocritæ sunt, qui Sabbathum  
obtendunt, quasi illud sancte colerent, qui  
tamen Christum, Dominum Sabbathi, in-  
nocenter crucifixum necaverant. Sicut ho-  
dierno adhuc die inter Christianos multi  
occurrunt, qui quoad speciem tantum fe-  
sta celebrant, sed de penitentia & vitæ e-  
mendatione, in qua caput rei versatur, mi-  
nus solliciti sunt. Si averteris à Sabbatho  
pedem tuum facere voluntatem tuam, in  
die sancto meo, tum vocabitur Sabbathum  
jucundum, in sanctitatem Domini glorio-  
sum, Esa. 58, 13. Ex adverso vero locum ha-  
bet: Odi & abominor festivitates vestras,  
& non capiam odorem cœtuum vestro-  
rum, Amos. 5, v. 21. 22.

2. *Ex factis.* Pilatus enim indulget ipsis  
milites, qui hoc eorum postulatam perfici-  
ant. Venerunt ergo milites, & primi qui-  
dem fregerunt crura, & alterius, qui cruci-  
fixus est cum eo. Ad Jesum autem cum ve-  
nissent, ut viderunt, eum jam mortuum,  
non fregerunt ejus crura, sed unus militum  
lancea latus ejus aperuit: & continuo ex-  
ivit sanguis & aqua. Hoc vero factum est,

1. *In Scriptura complementum,* nempe  
typi Agni Paschalis, cujus os confringi non  
licuit, Exod. 12, v. 46. tum & vaticinii Za-  
chariæ: Videbunt in quem pupugerunt,  
Zach. 12, v. 16.

Hinc manifestum est, Christum esse  
promissum mundi Messiam, cui omnes  
Prophetæ testimonium perhibent, remis-  
sionem peccatorum accipere per nomen  
ejus omnes, qui credunt in eum, Act. 10.  
vers. 43.

2. *In nostrum emolumentum,* Vulnuse-  
nim Christi laterale sit nobis

1. *Fenestra patens,* per quam Christi cor  
introspicere possumus, quomodo idem in  
nos affectum sit

Cum Noa arcam ædificaret, inter alia  
quoque fenestram in ea facere jubebatur,  
per quam deinde columbam dimisit, quæ  
rediit ad eam circa vesperam, & ecce! foli-  
um olivæ decerptum in ore suo. Ex quo  
Noa intellexit, quod cessassent aquæ super  
terram, Gen. 8, v. 10. Ejusmodi fenestram  
habemus in aperto Christi latere, per  
quod gratiæ columba, Spiritus sanctus, e-  
volavit, & virentem pacis olivam attulit:  
qua de causa in vita & morte exultare  
possumus, quia scimus, Deum reconci-  
liatum esse per mortem Filii sui, Rom. 5,  
vers. 10.

2. *Caverna latens:* in qua ab instante  
tempestate abscondere nos possumus, sic-  
uti aviculæ in arborum cavernis, & co-  
lumbæ in fissuris petrarum nidos suos po-  
nunt.

Tempore diluvii omnia, in quibus spi-  
raculum vitæ erat, in aquis peribant, ex-  
cepto Noa, & qui cum eo erant in arca, Gen.  
7, v. 21.

Sic quando Deus sedet diluvium parans,  
melius refugium habere non possumus,  
quam si in latus Christi vulneratum nos  
abdamus. Hæc turris fortissima, ad ipsam  
currit justus, & exaltabitur, Prov. 18, v. 10.

In

## De Quarto.

In V. T. Israëlitarum urbes suas habebant, quarum asylo uterentur, si quis præter intentionem homicidium perpetrasset: Sic Christi latus apertum asyllum nostrum est, cujus perfugio si utimur, protegemur, à contradictione linguarum, Psal. 31. v. 22. Hinc Bernhardus: Turbabor, sed non perturbabor, quia vulnerum Christi recordabor.

Torquebor à probris meis,  
Cor confcium dolebo:  
Ast sint arenæ quot maris,  
Pessum tamen nec ibo.  
Mortis recordabor tuæ  
Et vulnerum cum sanguine,  
Securus his latebo.

3. *Fons scaturiens*, in ablutionem peccati, & imunditiei, Zach. 13. v. 1. manat enim ex illo aqua & sanguis. Aqua significat baptismum, qua in infantia adspargimur, & ab omnibus peccatis abluimur, unde lavacrum aquæ in verbo dicitur, Eph. 5. v. 26. Sanguis vero significat sacramentum cœnam, in qua nobis sanguinem suum propinat, ut animo potiamur, Diabolum vincendi: sicut olim Elephantis ostenderunt sanguinem uvæ & mori ad acuendos eos in prælium, 1. Macc. 6. vers. 34. Hinc Damianus: Terretur Adversarius vester Diabolus, cum videt Christianorum labia sanguine CHRISTI rubentia.

Sicuti legimus de Angelo percussore, quod præterierit domos Israelitarum, quia postes sanguine agni Paschalis aspersi fuerunt, Exod. 12. v. 13.

**R**estat Quartum, nempe, *Honestæ sepelicio*, circa quam notanda

1. *Ipsa descriptio*. Ubi occurrit

1. *Tempus*. Facta enim hæc sepelicio Christi, vesperi parasceve, quod est ante Sabbathum: erat hæc vespera diei Veneris, qua Judæi se præparabant ad Sabbathum, quod tum incipiebat. Sicut igitur die mortis suæ Christus quieti datus est: sic & illi, qui Christi sunt, per mortem ad dulcissimam quietem perveniunt, & requiescunt in sepulchris suis, unde die novissimo in universalis mortuorum resurrectione prodibunt, corporibus clarificatis instructi. Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur à modo, Apoc. 14. v. 13. Hof. 6. vers. 2.

2. *Sepelientium numerus*, horum duo fuerunt:

1. *Josephus*, in quo occurrit

1. *Patriæ claritas*: Erat enim ab Arimathea, alias Ramath appellata, quæ civitas Judæorum erat, sita in monte Ephraim, quatuor milliariibus ab Hierusalem, in qua olim Samuel natus erat & habitaverat, 1. Sam. 1. vers. 20. A cujus posteris sine dubio Josephus de Messia, ejusque officio, nec non de morte & Passione ejus instructus fuit.

Unde apparet, magnum beneficium esse, si quis eo loco nascatur & educetur, ubi verbum DEI palam pure & sincere prædicatur, ex cujus auditu fides est, Rom. 10. vers. 7.

2. *Divitiarum quantitas*. Non enim divitiarum fidei & bonæ conscientie repugnant,

modo observetur, quod David ait: Divitiæ si crescant, nolite cor apponere, Psal. 62. v. 11.

3. *Status dignitas.* Erat insuper Senator. Quod contra illos notandum, qui hunc Statum Christianis indignum censent: cum tamen Deus eum ad sepulchrum Filii sui adhibuerit, Hinc Petrus: In veritate comperi, Act. 10. v. 34.

4. *Pietas.* Erat enim expectans Regnum Dei, quod per Messiam adornaturus erat, eratque discipulus Jesu, oculus autem propter merum Judæorum. Præditus ita ante fuit fide infirmiori, quia publice Christum non confessus est: Attamen eum Deus ob infirmam fidem non abiecit. Quod fide infirmis in solatium cedit, calamum enim qua flatum non confringet Deus, Esa. 42. v. 3. Interea pietati operam demus, habet enim promissionem hujus & futuræ vitæ, 1. Tim. 4. v. 8.

5. *Sinceritas.* Non consenserat consilio & actibus eorum. Quamvis enim è manibus sanguinariis Concilii Hierosolymitani Christum liberare non potuerit, attamen consilium adeo non approbavit, ut potius illis palam contradixerit. Omnibus senatoribus in exemplum, ne multitudini in causis iniquis subseribant, sed potius justitiam perlequantur, Exod. 23. v. 2. Psal. 1. v. 1. Esa. 5. v. 20.

6. *Animositas.* Audacter enim introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. Ubi notemus

1. *Actum.* Accessit enim Pilatum, & petiit corpus Jesu. Hoc malculum fuit facinus

quod hinc tentavit. At hæc natura fidei, quæ non timet, si terra loco suo moveretur, Ps. 46. v. 3. Sic & nostra lux luceat coram hominibus, Matth. 5. v. 16.

2. *Effectum,* excitavit enim

1. *Admirationem,* respectu Pilati, qui mirabatur, si jam obiisset. Ante tres enim horas Christus eductus & in cruce suspensus fuerat, in qua Pilatus putabat, diutius eum vivere potuisse, quia crucifixionem lenta mors consequebatur. Verum hæc infidelis & gentilis admiratio, ex ignorantia mysteriorum divinatorum profecta, fuit. Christus enim non coacte sed voluntarie mortem sustinuit, adeoque animam suam, quando voluit, posuit, Joh. 10. vers. 18.

2. *Percontationem.* Pilatus enim accersito Centurione, interrogavit eum, si jam mortuus esset. Quo ipso prudentiam suam indicat. Ne enim Jesus sub prætextu sepulturæ, tanquam facinorosus morti adjudicatus, ut Judæi eum reputabant, a morte liberaretur, ante mortem Christi, priusquam Josepho corpus polliceretur, à Centurione, qui custos corporis Christi constitutus erat, percontatus est. Omnibus Magistratibus in exemplum, ne temere quicquam faciant, aut judicent, sed in omnibus rebus certitudinem explorent: habet & locum illud Christi: Estote prudentes, Matth. 10. vers. 16.

3. *Gratificationem.* Nam cum cognovisset Pilatus à Centurione, donavit corpus Jesu Joseph. Christi corpus optimum donarium in toto mundo est, tota enim plenitudo Divinitatis habitat in eo corporaliter

raliter, Col. 2. v. 9. Idem hodie tenus omnibus fidelibus donatur, quando Passionem, mortem & meritum ejus vera fide sibi applicant, ut hinc vitam & abundantiam habeant, Joh. 10. v. 11.

II. *Nicodemus.* Qui describitur, quod antehac noctu ad Christum venerit, Joh. 3. v. 1. seqq.

Hæc infirma ejus fides mirum in modum aucta fuit. Ante JESUM accessit noctu; jam interdiu, adeoque opere ipso fidem suam ostendit, affert enim mixturam Myrrhæ & Aloës, quasi libras centum,

Ex quo constat, DEUM sibi semper in medio quoque inimicorum conservare Ecclesiam, Pontifices, Pharisei & Scribæ Hierosolymitani omnes Christo infensi erant, consularunt omnes adversus Dominum, & adversus Christum ejus, Psal. 2. vers. 2. Sed inter illos Christus Ecclesiam suam habuit, quam vis exigua esset, ut numerari posset, sicut illa pusillus grex dicitur, Luc. 12. v. 32. in quo minus offendamur, quia complacuit Patri cœlesti, dare nobis Regnum. l. c.

Veluti autem hi duo discipuli amatores Christi probarunt se:

1. Corpus Christi involvendo.
2. Ungendo.
2. Sepeliendo:

Ita & nostra fides per caritatem efficax sit, Gal. 5. vers. 6. Ut Christum Sindone fidei salvificæ involvamus, in membris suis ungamus exhibitione operum caritatis, sic in cordibus nostris spiritualiter

habitabit, & mansionem faciet, Joh. 14. vers. 23.

3. *Sepultura locus,* qui fuit hortus, quo significatur, quod quemadmodum Christus Passionem suam in horto Oliveti inceperit, ita in horto illam finire voluerit, quo Passione sua recuperaret, quod primus Adam in Paradiso perdidit: nec non, ut sicut ille velut arbor vitæ propediem progerminaturus sit: ita & nos virtute sua quasi herba germinaremus, Esa. 66. v. 14.

¶ Sed & in specie recensetur, quod Christus in horto in monumento novo, in quo nondum quisquam positus fuerit, repositus sit, quod non sine ratione factum.

In monumento peregrino reponi voluit, ut indicet, se pro aliorum peccatis mortuum & sepultum esse: ipse enim peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, Esa. 53. v. 9.

In sepulchro novo, in quo nondum quisquam jacuerat, repositus est, ne hostes Christi calumniarentur, quasi ille ossibus Sanctorum tactus revixerit, sicut olim cadaver in sepulchrum Elisei projectum, cum tetigisset ossa ejus, revixerat, 2. Reg. 13. v. 21.

4. *Sepultura terminus:* nempe Ioseph & Nicodemus abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem. Quod sine dubio factum, ne maleferiati, petulantiam & sævitiam in Christo ulterius exercerent, aut per pecora corpus ejus lædi posset.

Præclarum dilectionis exemplum hi discipuli exhibent, dum Christum in mortem usque amore suo prosequuntur, quod quidem discipuli, imprimis Petrus promiserant, sed fidem fefellerant: sed & nos exemplum hoc imitantes, mortuo quoque non prohibeamus gratiam, Sir. 7. vers. 37.

5. *Usus, sepulturæ Christi:*

1. *In consolationem.* Peccata nostra cum Christo sepulta sunt, h. e. omnis nostra miseria à peccatis orta, in sepulchro Christi tumulata est, unde nihil condemnationis est in iis, qui in Christo Iesu sunt, Rom. 8. v. 1.

2. *In Debortationem.* Si peccata nostra, & miseriæ inde ortæ in Christi tumulo humata sunt, illa minus resuscitentur à nobis: quod fit per peccata voluntaria & regnantia. Vetus igitur homo quotidie cum Christo sepeliatur, quo destruat corpus peccati, ne ultra serviamus peccato, Rom. 6. v. 6.

2. *Consecutio: nimirum*

1. *Custodia emendicatio.* Altera enim die, quæ est post Parasceven, convenerunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit, adhuc vivens: Post tres dies resurgam, Jube ergo custodiri sepulchrum, usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi: surrexit à mortuis, & erit novissimus error pejor priore.

Hæc vis erat maleferiatæ conscientia, &

quæ & in morte Christi nondum quiescebat, sed magis magisque inquietabatur. Imprimis hæc notandum, quod Christum ad mortem postulantem, hanc accusationem attulerint, dixisse scilicet eum: se destrueturum templum Dei, manibus factum, & post triduum reedificaturum illud; manibus non factum: quod tum de templo Hierosolymitano dictum prætendebant: jam vero satis indicant, se alio sensu verba Christi intellexisse, ac illa tum temporis exposuerant, Transgressores igitur octavi præcepti fuerunt, dum Christi sermonem contra conscientiam depravarunt.

2. *Lapidis obsignatio.* Quo ipso Danielis vaticinium impletum, quod post septuaginta hebdomadas peccatum obsignari, & justitia sempiterna adduci debeat, Dan. 9. v. 24.

Certo proinde scimus, quod omnia peccata nostra in profundum maris projecta, Mich. 7. v. 19. Infernus oclusus & obsignatus sit. Merito igitur Christo pro dolorosa, nobis vero salutari Passione gratias agimus, dicentes:

Christe, nobis subveni,  
Passione amara:  
Obsequentes ut tibi,  
Horreamus probra:  
Passionem sic tuam  
Ut pie spectemus,  
Gratiasque debitas  
Perpetim cantemus,  
Amen.

IN

# IN FESTO PASCHATOS.

*Evangelium Marc. 16. v. 1. -- 9.*

## EXORDIUM.

**C**Um Israëlitarum agnum Paschalem mactassent, ejusque sanguinis beneficio ab Angelo percussore redempti, Aegypto egressi, & sicco pede per mare rubrum transiissent: ubi oculis suis spectarant, quomodo Pharaon cum omni exercitu suo in mari rubro fluctibus opertus & suffocatus esset: praclarum Epinicion Deo cantarunt: Maria, Moysis Soror cum tympano praecessit: egressaeque sunt omnes mulieres post eam, cum tympanis & choris, dicentes: Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est, equum & adscensorem ejus dejecit in mare. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem, iste Deus meus, & glorificabo eum &c. Paulò post, pluit illis Deus manna ad manducandum, frumentum caeli & panem Angelorum dedit illis, Psal. 78. v. 24. 25.

Nos quoque Dilecti! haecenus de Agno nostro paschali, in concionibus passionibus audivimus, qui est Christus pro nobis immolatus, 1. Cor. 5. v. 7. quomodo scilicet per illum ab Angelo percussore liberati, & infernalis Pharaon, mors & Diabolus, cum omni suo exercitu in mari rubro, sanguinis Christi, quem in arâ crucis profudit, submersus sit: In illo enim habemus redemptionem, per ipsius sanguinem, & remissionem pecca-

torum, Col. 1. v. 14. Jam opportunum erit, ut Redemptori nostro Epinicion cantemus dicentes:

Christus resurgit, plaudite!  
Qui nos redemit crimine:  
Hoc pro Paschali gaudio  
Nunc dicimus grates Deo.

Quemadmodum vero ibi ad redemptionem ex Aegypto manna, seu frumentum caeli pluebat: Ita quoque spiritualiter redemptionem per Christum factam, manna Evangelicae consolationis sequuta est, Angelo mulieribus praedicante: Nolite expavescere, Jesum quaeritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic. Ecce locus, ubi posuerunt eum: Sedite, dicite discipulis ejus & Petro, quod praecedet vos in Galilaam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

Hoc egregium solatium Paschale fuit, quod nobis omnibus adhuc hodiè lætitiæ am gignit; Quaecunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus, Rom. 15. v. 4.

Meditabimur pro instituti ratione

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

## Exegetis.

**O**lim vulgo persuaserunt, Solem die Paschatos manè in ipso ortu, ter saltare in honorem Christi, quòd is velut Sol iustitiæ è mortuis resurrexerit, & hoc ipso toti mundo, gaudium & lucem, vitam & salutem acquisiverit: quæ cogitationes quidem non adeò improbandæ, iisque stabilendis verba Davidis applicari posse videntur: Sol, tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit, ut Gigas, ad currendam viam suam, Psal. 19. v. 6. Verùm si Deus visibili ejusmodi signo diem Paschatos notasset, Christiani in Asia cum Victore Pontifice Romano hâc de re controversiam vix movissent, nec adhuc hodiè moverent, siquidem ipse Sol saltu suo hanc litem dirimeret.

Intereà dubium non est, quin pii Veteres, hòc ipsò, ad devoram beneficiorum meditationem, quæ resurgens Triumphator Christus JEsus, è sepulchro nobis cum ortu Solis attulit & donavit, nos exstimulare voluerint. Sicut enim piæ mulierculæ manè ante ortum Solis, iter ad sepulcrum Christi fecerunt: Sic nos quoque solliciti simus, ut conjunctim ædem Domini frequentemus, ad visitandum Dei cultum, sicut & David se fecisse innuit, inquiens: Diluculo adsum, ut in verbo tuo sperare queam, Psal. 119. v. 147.

## Querela respicit

I. *Fœmininam ruditatem*, quam eo ostendunt, quod Christum in sepulchro uncturæ veniunt. Meritò enim scire debuissent, ex Psal. 16. v. 10, Sanctum Dei corru-

ptionem non visurum: imprimis, quia Christus ipse, cùm adhuc iplis præfens esset, subindè inculcaverat, se tertiâ die ex mortuis resurrecturum, vide Matth. 12. v. 4. Luc. 18. v. 37. Joh. 2. v. 13. & passim.

Verùm quid de mulieribus dicemus? Siquidem ipsi Apostoli tam rudes fuerunt, ut Statum Regni Christi, & nuncium de resurrectione ejus non intellexerint, sed omnia quæ mulieres, alii que quibus Christus apparuerat, dixerunt, visa sunt ante illos, *ὡς ἄγνοι*, Luc. 24. v. 11.

O quot adhuc hodiè inveniuntur inter nos, qui literarum divinarum maximè rudes sunt, ex quibus quidem abundè ad salutem instruuntur, illi tamen ex merâ consuetudine, non discendi gratiâ accedunt, quò aliquando in adversis solatium inde promant, & capiant. Hi sunt sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, Psal. 32. v. 9. semper discentes, & nunquam ad veritatem pervenientes, 2. Tim. 3. v. 7.

Fugite hanc oscitantiam, Fratres! & ingredientes domum Dei appropinquate, ut audiat, Eccles. 5. v. 1. ibi enim discere, quæ vobis desunt, Sir. 51. v. 31. & cœlestem sapientiam quæ in abscondito est, invenire poteritis, Psal. 51. v. 7.

Licet igitur humana infirmitas nos commitetur, sicut in hâc vita ad perfectionem non pervenimus, 1. Cor. 13. v. 9. hoc nos solatium manet, quod Deus proptereà non abjecturus, sed Spiritu suo sancto infirmitatem nostram adjuturus sit, Rom. 8. v. 26. in suâ nos virtute per fidem custodiens in salutem, 1. Petr. 1. v. 5. Non enim opus est Medice valentibus, sed malè habentibus, Matth. 9. v. 12.

II. *Lapidis gravitatem*, cui infirmæ mulieres

lieres amoliendo pares non erant. Ideò dicunt in viâ : Quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti ? Hæc earum sollicitudo & anxietas fuit.

O quot & quantis angorum & advertitatum lapidibus adhuc hodie pii onerantur, ut vix respirent, & cum Jobo dicant: Si appenderetur afflictio mea in staterâ, & calamitates meæ apponerentur, tunc graviores essent, quàm arena maris, Job. 6. v. 1.

Solon, cum familiarem valdè sollicitum conspiceret, abducebat eum in excelsam turrim, ex quâ omnes domos in civitate spectare poterat, dicens: Quantas putas anxietates & mœrores sub his tectis fuisse, esse, & futuros esse? Quo ipso eum communiturus erat, neminem in hâc miseriarum valle, sine afflictionibus esse, vel fuisse. Hic lectulo æger tenetur, & aliquamdiu à morbo maceratur, per duodecennium, ut mulier hæmorrhousa, Matth. 9. v. 20. decem & octo annis, ut filia illa Abraham, Luc. 13. v. 16. triginta & octo annis, ut infirmus ille ad piscinam Bethsaida, Joh. 5. v. 5. Hic lapis sæpè aded premit ægros, ut eum Hiskia sicut grus & hirundo garriant, Esa. 38. v. 14. adeoque lamententur: Quis revolvat mihi lapidem hunc, factus sum sicut homo sine adjutorio, Psalm. 88. v. 5. Thren. 2. v. 13.

Ille in exilium abire, ut Elias, cui Jezabel mortem juraverat, 1. Reg. 19. v. 3. aut pauperiem sustinere instar Lazari, Luc. 16. 20. aut hostibus in prædam cedere cogitur, ut Loth, Gen. 14. v. 12. aut alium stimulum in carne habet, ut Paulus, 2. Cor. 12. v. 7. Hic iterum querela: Quis revolvat nobis lapidem? Sed Christianus, Crucianus, Matth. 16. v. 24.

Iste spirituali tentatione angitur, ratione peccatorum commissorum, quæ Diabolus exaggerat, & contrà gratiam Dei extenuat, unde nihil nisi animi angores & cruciatus sequi solent. Respectu hujus lapidis, omnis alia crux flocci æstimanda est. Nullus enim dolor tantus est, quantus dolor cordis, Sir. 25. v. 17. Et cor, quod novit amaritudinem animæ suæ, non delectabitur in extraneo gaudio, Prov. 14. v. 10.

Hic iterum quiritantur: Quis revolvat nobis lapidem? sicut Jobus, David, Hiskias aliique id experti sunt.

Quicquid horum obtingit nobis, à peccato est, quod omnis mali fons & origo. Castigabit te malitia tua, & averfio increpabit te, Jer. 2. v. 19.

Lapidem itaque afflictionum declinaturi, peccata fugiamus oportet. Quasi à facie colubii fuge peccata, Sir. 21. v. 2.

III. *Mundanam vanitatem*, ubi nullum gaudium sine mœrore. Latum utique nuncium Angelus mulierculis hisce annuntiavit, quod Christus resurrexerit: verum & metu mixtum. Invaserat enim eas & timor & stupor, quia Angelum viderant.

Sic pii adhuc hodiè in mundo habent

1. *Gaudium externum*. Licet enim Deus eosdem semper sub ferulâ contineat: tamen & recreatione quandoque dignatur illos, quando post tempestatem tranquillum facit, & post lacrymationem & fletum exultationem infundit, Tob. 3. v. 22.

2. *Gaudium internum*, quod Deus per Spiritum sanctum in cordibus eorum excitat. Fictus enim Spiritus sunt, caritas, gaudium, pax, Gal. 5. 23. Hæc voluptas conscientie est, in eo consistens, quod homo certus est de

est de gratiâ Dei, propter Christum, estque iuge convivium, Prov. 15. v. 15. & ejusmodi gaudium, quod nullis afflictionibus interrumpi potest, sed talis gloriatur in tribulationibus, sciens, quod tribulatio patientiam operatur &c. Rom. 5. v. 3. Hoc gaudium qui sentit, gustat virtutes seculi venturi, Hebr. 6. v. 6. nec multum recordatur dierum vitæ suæ, ed quod Deus occupet gaudio cor ejus, Eccles. 5. v. ult.

Verum, sive interno seu externo gaudio fruamur, ex parte tantum gaudemus, 1. Cor. 13. 10. quo contentos nos esse oportet, donec succedat gaudium æternum, quod nunquam auferetur à nobis, Joh. 16 v. 23. nempe gaudium super omne gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium, Augustino dicente, Esa. 65. v. 14. Quod si igitur gaudio externo minus frui potes, sed cibarum pane lacrymarum, & potaris lacrymis copiosè, Psal. 80. v. 6. verbum Dei sit tibi in gaudium, & in lætitiâ cordis tui, Jer. 15. v. 16. Gaude, quod nomen tuum scriptum in cælis, Luc. 10. v. 20. Gaude, quod ad vitam æternam electus es, ante constitutionem mundi, Eph. 1. v. 4. Exulta, cum Mariâ in Deo, salutari tuo, Luc. 1. v. 47. Lætare in Spiritu Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, Eph. 1. v. 14. & testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei, Rom. 8. v. 16.

Qui hoc gaudio interno præditus est, lætari potest, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis, quin & in ipsâ morte, 2. Cor. 12. v. 10. & certus est, quod post hanc vitam venturus sit ad æternam beatitudinem, ubi non ultra audietur vox fletus & vox clamoris, Esa. 65. v. 19. sed lætitiâ sempiterna erit super caput eorum; gau-

dium & lætitiâ obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus, Esa. 35. v. ult.

Interea servi Domino in timore, & exulta ei cum tremore, Psal. 2. v. 11. Nam, beatus, qui semper est pavidus, Prov. 28. v. 14. bravium nondum comprehendimus, 1. Cor. 9. v. 25. ideo cum metu & tremore salutem nostram operemur, Phil. 2. v. 12. valde solliciti, si participes Christi effecti sumus, ut initium substantiæ usque ad finem firmum retineamus, Hebr. 3. 14.

### De Secundo.

**S**equitur *Medela triplex*, quæ fuit  
I. *Ex lapidis remotione.* Respicientes enim viderunt, revolutum lapidem, erat quippe magnus valde. Hinc apparet, quod Deus fideles suos non pariat tentari supra id, quod possunt, 1. Cor. 10. v. 13. sed in mediis angustiis, quando res desperata videtur, revolvit lapidem, ut respirare possint: Non enim repellet in sempiternum Dominus, Thren. 3. v. 31. 33.

Nostrum est in omnibus adversitatibus expectare cum silentio salutare Dei, ipse faciet, Psal. 37. v. 5. 2. Cor. 4. v. 17.

II. *Ex Angelicâ Concione:* Jesum, inquit, quæritis Nazarenum, crucifixum, surrexit, non est hic.

Quod si Christus surrexit, à peccatis redempti sumus, Mors enim stipendium peccati, Rom. 6. v. 23. sicut igitur Christus propter delicta nostra traditus est: sic & resurrexit propter justificationem nostram, Rom. 4. v. ult.

Nisi resurrexisset, adhuc essemus in peccatis nostris, 1. Cor. 15. v. 18. quia vero surrexit, chirographum, quod adversus nos erat,

erat, deletum, Col. 2. v. 14. nihilque condemnationis est, in iis, qui in Christo Jesu sunt, Rom. 8. v. 1.

Si Christus surrexit, metu Diaboli soluti sumus, dissolvit enim opera ejus, 1. Johan. 3. v. 8. & in sanguine testamenti sui fideles suos emisit de puteo, in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11. Unde ipse ait: Mortuus fui, & ecce! sum vivus. Apoc. 1. v. 18.

Si Christus surrexit, mortem quoque non pertimescamus, quem Christus absorpsit in victoriam, Esa. 25. v. 8. & licet à temporali morte immunes non simus, attamen nos non retinere poterit, sed die ultimo evomet nos, ut Balæna Jonam, Jon. 2. v. 11. ibi incorruptibiles è tumulis nostris prodibimus, 1. Cor. 15. v. 43. & erimus sicut Angeli Dei in cælo, Matth. 22. v. 30.

Lati itaque morte nos invadente mundo valedicere, & cum Jobo dicere possumus: Scimus, quod Redemptor noster vivit, Job. 19. v. 25.

Jacob amisit filium Joseph in habitu pastoralis, & recepit eum in veste Principis, Gen. 37. v. 14. c. 46. v. 30.

Ita jam nos præditi sumus corporibus humilibus, Phil. 3. v. 21. & mortalibus, 1. Cor. 15. v. 35. corporibus peccati & mortis, Rom. 7. v. 24. sed ibi configurabimur corpori claritatis Christi, Phil. 3. v. 21. semper cum eo in æternâ gloriâ futuri, 1. Theff. 4. v. ult.

III. Ex speciali Petri mentione. Ite, inquit Angelus, dicite discipulis ejus, & Petro. Petrus graviter, Dominum suum ternâ vice abnegando, deliquerat, hinc magno mœrore perturbatus amarè flebat: sed jam salutari erigitur solatio, quod non abjiciendus, sed cum Christo in gratiâ, ejusdemq; discipulus sit mansurus.

Quod si & vos cum Petro, vel illo gravius peccastis, ne desperetis, Vos mei! sed revertimini ex animo dolentes, & in gratiam recipiemini. Memor enim est Jesus vestri, in manibus suis descripsit vos, ut nunquam obliviscatur vestrum, Esa. 49. v. 16. Sicut igitur hic Petrus per Angelum resurrectionem ei annunciando, confirmavit, ne in peccatis suis desperaret: Sic idem adhuc hodiè facit per Angelos suos, h. e. Ecclesiæ ministros, uti appellantur, Esa. 33. v. 7. Malach. 2. v. 7. & passim.

Quando enim peccatori ob peccata anxio & verè dolenti hæc verba suggeruntur ab animarum Pastore: Confide filii, confide filia! remittuntur tibi peccata tua, Matth. 9. v. 2. idem id est, ac si Dominus per Angelum, vel per seipsum Absolutionem ei annuñciasset. Quæcunque enim solveritis in terrâ, erunt soluta & in cælo, Matth. 18. v. 18. idcirco hæc gratia minimè aspernanda erit, qui enim spernit, non hominem spernit, sed Deum ipsum, 1. Theff. 4. v. 8. cui placuit per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, 1. Cor. 1. v. 21.

Angelos lapsos catenis noctis detractos in Tartarum, tradidit cruciandos, in judicium reservare, 2. Petr. 2. v. 4. Nos verò, qui tamen & ipsi spontè à Deo descivimus, facit Deus indes bonæ spei, quod daturus sit locum in peccatis penitentia, Sap. 12. v. 19. Hæc viscera misericordiae Dei nostri sunt, in quibus visitavit nos Oriens ex alto, Luc. 1. v. 79.

Propterea nemo desperet, licet iniquitates multiplicatæ sint super capillos capitis sui, Psal. 40. v. 14. sive arenam maris exsuperent, Orat. Man. v. 2. Misericordia ejus major adhuc est, ita ut nec minuere, neque adjicere possis, Sir. 18. v. 5. Non enim posuit

nos in iram, fed in acquisitionem falutis,  
1. Theff. 5. v. 9.

### De Tertio.

**R**eflat *Cautela*, quæ tribus abfolvitur  
Regulis, quarum

1. *Feflum decoro celebra.* Exemplo funt  
piæ hæ mulierculæ, in quibus apparet,

1. *Insignis pietas.* Sabbatho enim quie-  
febant, juxta præceptum Dei, Exod. 20. 8.  
Idem nos faciamus. Fefla enim folennia  
non ideò inftituta funt, ut in delitiis, cra-  
pulâ aut ebrietate transigantur, ut hodiè  
perverfus mós invaluit: fed in æde Domi-  
ni conveniamus oportet, laudantes & ce-  
lebrantes Dominum pro beneficiis nobis  
exhibitis, quæ decora & jucunda laudatio  
eft, Pfal. 147. v. 1. placetque Deo super ju-  
vencum, cornua producentem & ungulas,  
Pfal. 69. v. 32. quando verò feftivitates  
Dei in peccatis transiguntur, ad gravem  
Deus hoc ipfo iram provocatur, ut con-  
vertat feftivitates in luctum, & cantica in  
planctum, Amos 8. v. 10.

2. *Singularis animofitas.* Hâc in parte  
Apoftolis palmam præripiunt, qui meti-  
culofi latibula quæfiverât, & conclavi fele  
incluferant, nec prodire audebant, ad re-  
furrectionem Chrifti indagandam, quam  
tamen ipfis Servator clarè prædixerat. Sic  
nullum periculum illæ verentur, fed ani-  
mofe ad fepulcrum pergunt. Hæc fidei  
narura eft, ut in Chrifto non offendatur,  
nec periculum ullum fugiat, quod oboriri  
poffit. Qui enim crediderit, non feftina-  
bit, Efa. 28. v. 17. fed novit fibi pro Chri-  
fto donatum effe, ut non folùm in eum  
credat: fed etiam pro illo patiat, Phil. 1.  
v. 29. quod & Chriftianus nunquam aver-  
ferur: fed fpe gaudeat, & in tribulatione pa-

tiens effe perfeveret, Rom. 12. v. 12. juxta  
illud: Credidi, propter quod locutus  
fum, Pfal. 116. v. 10.

3. *Conjuncta unanimitas.* Unum enim  
illis erat cor, & unus affectus: quod huic,  
& illi placebat. Id eft, humero uno fervire  
Deo, Soph. 3. v. 9. Idem nobis quoq; imi-  
tandum. Quando enim Servator nofter  
pacem apprecatur nobis, Joh. 20. v. 19 hoc  
ipfo non modò conscientiam noftram pa-  
caturus, fed & fimul graviter nobis impe-  
raturus eft, ut inquiramus pacem, & mutuo  
perfequamur eam, Pl. 34. v. 15. Matt. 5. v. 9.

4. *Tempeftiva fedulitas.* Somnum enim  
profligantes, cum ipfo diluculo, ante Solis  
ortum itineri fe accingunt. Id nofter quo-  
que officii eft. Studio non pigri fimus,  
Rom. 12. v. 11. Imprimis in rebus falutem  
noftram concernentibus, fomnum pecca-  
torum & fecuritatis abigamus, ut manè  
furgamus. Pœnitentia quippe fera, rarè  
eft vera, ficut in tota facrà Scripturâ nul-  
lum exemplum occurrit, nifi latronis, in  
ipfo vitæ articulo pœnitentiam agentis,  
Luc. 23. v. 43. id verò neutiquam in imita-  
tionem trahendum, fed potius falutare Si-  
racidis confilium amplectendum; Ante  
languorem humiliate, & in tempore pec-  
catorum oftende conversionem tuam,  
Sir. 18. v. 21. 26.

5. *Rara liberalitas.* Non enim parcent  
fumtibus emendis aromatibus, quibus  
Dominum ungant. Nam ubi cor sincerum  
eft, ibi haud inviti largimur de facultatibus  
noftis, ad confervationem cultus divini,  
& egenorum indulgentiam, ita ut fi mul-  
tùm nobis fuerit, abundanter tribuamus:  
fin exiguum, etiam hoc libenter impertiri  
ftudeamus, Tob. 4. v. 9. Hilarem enim da-  
torem diligit Deus, 2. Cor. 9. v. 7. Hoc fra-  
grans

grans illud unguentum est, quo Christus adhuc hodiè ungitur. Unde & non sine remuneratione fiet. Mutuò enim dat Domino, qui miseretur pauperis, & retributionem suam reddet ei, Prov. 19. v. 17.

II. *Resurrectionem Christi pondera.* Hanc enim inculcat prælecta Pericope, in quâ illa juxta omnes circumstantias evidenter describitur. Surrexit enim Servator,

1. *Tempore congruo*, tertio sc. die, ut ipse promiserat, & Scriptura prædixerat. Cum enim transisset Sabbathū, Maria Magdalena, & Maria Jacobi & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.

Sicut igitur Servator die Parasceves circa vesperam expiraverat: ita per Sabbathum in sepulchro quiescere sinunt, sequente verò Solis die manè surrexerunt, quò corpus ejus more Judaico ungerent.

Id non modò per Prophetas prædictum generaliter, imprimis ubi David ait: Non derelinques animam meam in inferno, Pl. 16. v. 10. sed & specialiter, ratione temporis & diei prædefiniti. Sic enim Os. 6. v. 2. dicitur: Vivificabit nos post duos dies, in die tertiâ suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus. Quod quidem de resurrectione omnium credentium intelligendum: quia verò hæc à Christi Resurrectione pendet, Propheta quasi id dicturus est: Sicut Christus post triduum surrexit ex mortuis: ita nec nos Deus in æternum in tumulis nostris relinquet, sed suo tempore vivificaturus est, juxta illud Joh. 5. 25. Quò pertinet quoque typus Jonæ, ipso Christo sic explicante, Matth. 12. v. 40. Jon. 2. v. 1.

Hinc igitur elucescit, Servatorem nostrum non nudum hominem, sed Filium Dei & Θεού γέννητον esse. Omnes enim re-

liqui homines corruptionem videre coguntur, nemine, cujuscunque loci & ordinis sit, inde excepto, juxta illud: Terra es, & in terram reverteris, Gen. 3. v. 19. Verùm Christi corpus corruptionem non vidit, sed tertio die vivum prodiit, quia divinitati personaliter unitum fuit. Licet enim vinculum naturale corporis & animæ solutum, aliàs mors non vera fuisset: attamen vinculum personale, quo divina & humana natura combinatæ fuerunt, integrum mansit, ita ut Deus homo, & homo Deus mediâ in morte idem, nec mutatus fuerit, Psal. 102. v. 28.

Hinc Paulus ait, Christum natum ex semine David secundum carnem, declaratum autem Filium Dei, in virtute secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione, Rom. 1. v. 3. 4.

Inserviat hoc consolationi nostræ. Christus enim primogenitus ex mortuis est, Col. 1. v. 18. quia igitur ille surrexit, neque nos in morte manebimus. Vivo enim, inquit, & vos viveris, Joh. 14. v. 19.

2. *Causo monumento.* Josephus enim & Nicodemus ingentem lapidem ad ostium monumenti advolverant, quem deindè Pontifices sigillo Pilati signaverant: verùm & lapide, atque sigillo spreto, Christus perrupit: Sicut Simson ambas portæ fores, cum postibus suis & vestibibus apprehendit, & ita manus hostium evasit, Jud. 16. 3.

Et licet Angelus postea lapidem removerit, attamen id non factum est, ut Christus resurgere posset, sed ut mulieribus sepulchrū vacuū ostēderetur, Chrysofomo asserente. Hinc igitur colligamus, Servatorem nos habere ejusmodi, qui non modò seipsū vivificavit: sed quinos quoq; è tumulis

nofttris concludis refufcitare poffit. Non enim impoffibile eft apud eum ullum verbum, Luc. 1. v. 37. Quin potius cum Jobo dicimus: Scio, quod Redemptor meus vivit &c. Job. 19. v. 26.

3. *Corpore clarificato.* Postquam enim Chriftus refurrexit, postmodum non ut antè cum difcipulis fuis converfatus eft: fed diverfis vicibus, καὶ ἑπομένως quoties & prout libuit fe illis exhibuit conſpiciendū. Alias conſpicere eum non potuiſſent, ſicut nec corpora Sanctorum, exeuntia de monumentis poſt reſurrectionem Chrifti, non omnibus, ſed multis apparuerunt, quibus nimirum Deus oculos aperuit, ut eadem videre potuerint, Matth. 27. v. 53.

Non igitur Deo ejusque verbo repugnat, quando Chriftum non modo in ſacrâ cœna, ſed & Eccleſiæ ſuæ omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſæculi præſentem ſtatuiſſimus, Matth. 28. v. ult. hoc enim neutiquam abſurdum eſt, quia non modo habet clarificatum corpus, ſed & idem in perſonam τῆς ἀρχῆς aſſumptum, erectum etiam ſuper omnes cœlos, ut omnia ipſi ſubjecta ſint, nihil omiſſo, Hebr. 2. v. 8.

Optimum erit, ut in captivitatē redigamus omnem intellectum, 2. Cor. 10. v. 5. perpendentes, quod ambulemus per fidem, non per ſpeciem, 2. Cor. 5. v. 7. Beati enim qui credant, & nō vident, Joh. 20. 29.

III. *Fructus Paſchales tibi applica.* De aridâ Aaronis virgâ memoratur, quod unâ nocte germinaverit, floruerit & amygdalas dederit, Num. 17. v. 18.

Id pii Veteres Chriſto applicarunt, qui velut aridum lignum die Paraſceves à Joſepho & Nicodemo in ſepulcro poſit<sup>9</sup>, tertio die quaſi diluculū progreſſus eſt, Oſe. 6.

v. 3. & jucundos flores & amygdalas offendit, primū Mariæ Magdalenæ, Joh. 20. v. 14. deindè mulierculis, ſepulchrum inviſentibus, Matt. 28. v. 9. tertio Simoni Petro, ut & duobus diſcipulis Emaus proficite-ribus, Luc. 24. v. 5. & demū Apoſtolico Collegio in conclavi congregato, ubi Servator ipſis pacem ſuam attulit, Joh. 20. 19. & ſic multis argumentis ſe vivum exhibuit, Act. 1. v. 3.

Adhuc hodiè pacem in Eccleſiâ prædicare, & amygdalas distribuere ſinit in ſolatiū nobis in vita & morte conſtitutis. Fit id 1. *Per Angelorum apparitionem.* Sex diverſi Angeli in Reſurrectione Domini apparuerunt. Primus revolvit lapidem, & fugat cuſtodes ſepulchro deſtinatos. Secundus & tertius ad ſepulchrum ſedent, inſtruentes mulieres. Quartus & quintus ſedent in ſepulchro, unus ad caput & unus ad pedes, Joh. 20. v. 12. Sextus deſcribitur in textu noſtro, quod ſederit in dextris, coopertus ſtolâ candidâ. En magnum Dominum, tot miniſtris & apparitoribus inſtructum.

Quando nos firma fide ei adhæreſcimus, dabit nobis, de his, qui quotidie aſſiſtunt ei Zach. 3. v. 7. ut cuſtodiant nos per omnem vitam, in omnibus viis noſtris, Pſal. 91. v. 11. Et quando hora noſtra ultima ingruet, nō derelicturus nos eſt orphanos, Joh. 14. 18. ſed mandaturus Angelis ſuis, ut animam noſtram deportent in ſinum Abrahæ, Luc. 16. v. 13. corpus verò cuſtodiant cum omnibus offibus ſuis, ut unum ex his non conteratur, Pſal. 34. v. 21.

2. *Per metus abolitionem.* Nolite expaveſcere, inquit Angelus, ſurrexit.

Idem nobis quoque dictum ſit, Nos homunciones naturaliter mortem pertimeſcimus, qui velut ultimus inimicus,

1, Cor.

1. Cor. 15. v. 26. corpus & animam separat. Diabolum, qui die & nocte accusat nos coram Deo, Apoc. 12. v. 10. *Iram Dei*, quam peccatis nostris thesaurizamus nobis, Rom. 2. v. 15. Rom. 7. v. 19. Job. 9. v. 3.

Verum recordatione resurrectionis Christi, mortis metum proffigare possumus. Scimus enim, quod qui Jesum suscitavit, & nos per Jesum suscitaturus sit, 2. Cor. 4. v. 14. Sir. 48. v. 12. Psal. 16. v. ult. Nec minus Diaboli metu soluti sumus, Hebr. 5. v. 15. Quin & ira Dei pacata est, Resurrexit enim Christus propter justitiam nostram, Rom. 4. v. ult. Ideo ait Christus; Pax vobis, Joh. 20. v. 19. Esa. 27. v. 4. Eph. 1. v. 6. summa: Nunc facta est salus, & virtus & Regnum Dei nostri, Apoc. 12. v. 10.

3. *Per Christi processione.* Præcedet enim vos, in Galilæam, ibi eum videbitis sicut dixit vobis. Quo ipso respicit promissionem, Matth. 26. v. 32. quæ impleta est in monte Galilææ, Matth. 28. v. 16. ubi visus

est, plus quam quingentis fratribus simul, 1. Cor. 15. v. 6.

Christus similiter præcessit nos

1. *In resurrectione*, factus primitia dormientium, 1. Cor. 15. v. 20. Ideo inquit Leo: Quo præcessit gloria capitis, eo sequetur & spes corporis, Joh. 14. v. 20.

2. *In ascensione.* Ubi notas nobis fecit vias vitæ, Psal. 16. v. 11. & locum paravit, Joh. 14. v. 2. ubi cum Electis & Angelis habitemus, 1. Cor. 2. v. 9.

3. *In exaltatione.* Sedet enim ad dexteram Dei, Eph. 1. v. 21. In æterna gloria, Luc. 24. v. 26. ad quam licet nemo Angelorum pertingere valeat, Hebr. 1. v. 13. attamen nos quoque confortes gloriæ suæ facturus est, Joh. 17. v. 24. & quando veniet ad iudicium in nubibus cæli, nos quoque sedebimus super thronos, judicantes duodecim tribus Israël, Luc. 22. v. 30. 2. Tim. 2. v. 18. Apoc. 2. v. 21. Fiat id per Christum Jesum, Amen.

## DOMINICA QUASIMODO- GENITI.

*Evangelium, Joh. 20. v. 19. - 29.*

EXORDIUM.

**P**rasens Dominica antiquitus appellata est Quasimodogeniti. Item Dominica in albis. Utrumque inde est, quia Christus per mortem, & consequentem resurrectionem suam, nos regeneravit in spem vivam, 1. Petr. 1. vers. 3.

Quemadmodum igitur mater angore afficitur, dum fœtum suum pariat, ideo dolens clamat in doloribus suis, Esa. 26. vers. 17. Sic & CHRISTUS magno dolore percussus est, dum regenerationem hanc consummavit. Hinc ipse ait: *Servire me fecisti in peccatis tuis: præbuiisti*  
h h 3 miki